

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**M. Tvllivs Cicero Mannvcciorvm Commentariis Illvstratvs
antiquaeq. lectioni restitutus**

Continens Orationum Volumen Primum

Cicero, Marcus Tullius

Venetiis, 1583

M Tvllii Ciceronis Pro Sex Rosc Amerino Oratio II

[urn:nbn:de:gbv:45:1-764059](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-764059)

M·TVLLII·CICERONIS
 PRO·SEX·ROSC·AMERINO
 O R A T I O · II



QREDO ego uos, iudices, mirari, quid sit, quod, cum tot summi oratores, hominesq. nobilissimi sedeant, ego potissimum surrexerim, is, qui neque aetate, neque ingenio, neque auctoritate sim cum his, qui sedeant, comparandus. omnes enim hi, quos uidetis adesse in hac causa, iniuriam nouo scelere conflata[m] putant oportere defendi, defendere ipsi propter iniquitatem temporum non audent. ita fit, ut adsint, propterea quod officium sequuntur; taceant autem iocirco, quia periculum metunt. quid ergo? audacissimus ego ex omnibus? minime. at tanto officiosior, quam ceteri? ne istius quidem laudis ita sum cupidus, ut alijs eam praereptam uelim. quae me igitur res praeter ceteros impulit, ut causam Sex. Roscij reciperem? quia, si quis istorum dixisset, quos uidetis adesse, in quibus summa auctoritas est, atque amplitudo; si uerbum de rep. fecisset, id quod in hac causa fieri necesse est; multo plura dixisse, quam dixisset, putaretur: ego etiam si omnia, quae dicenda sunt, libere dixerem, nequaquam

tamen similiter oratio mea exire, atque in uulgus emanare poterit: deinde, quod ceterorum neque dictum, obscurum potest esse propter nobilitatem, & amplitudinem. neque temere dicto concedi propter aetatem, & prudentiam; ego si quid liberius dixerem, uel occultum esse propterea, quod non dum ad remp. accessi, uel ignosci adolescentiae meae poterit. tametsi non modo ignoscendi ratio, uerum etiam cognoscendi consuetudinem de ciuitate sublata est. accedit illa quoque causa, quod a ceteris forsitan ita petitum sit, ut dicerent, ut utrumuis saluo officio se facere posse arbitrarentur: a me autem non contenderunt, qui apud me & amicitia, & beneficijs, & dignitate plurimum possunt: quorum ego neque beneuolentiam erga me ignorare, nec auctoritatem aspernari, nec uoluntatem negligere debeam. His de causis ego huic causae patronus existi, non electus unus, qui maximo ingenio, sed relictus ex omnibus, qui minimo periculo possem dicere: neque uti satis firmo praesidio defensus Sex. Roscius, uerum uti ne omnino desertus esset.

E X P L A N A T I O



SUMMI oratores, hominesq. nobilissimi sedeant, & sedebant in subsellijs rei, non ut patroni, sed ut aduocati. **NEQUE auctoritate** & nullis dum gestis magistratibus. **INIURIAM nouo scelere conflata[m]** & iniuriam, quae Sex. Roscio infertur, cum de patris interitu accusatur ab ijs, ad quos maxime facinoris eius culpa pertinet: Nouo scelere, quia duo scelera sunt, unum occidisse Roscij patrem tamquam proscripsum a Sulla, qui proscripsum non erat, & eius bona, tamquam proscripti ab haec coemisse; alterum, innocentem ac miserum eius filium, paternis bonis iniuste priuatum, ne quando ea recuperare posset, de parricidio miscerare. **PROPTER iniquitatem temporum** & metu Sullae dominantis. nam satis constabat, & gratia ualere plurimum apud Sullam libertum eius Chryfogonum, & ab eodem liberto oppugnari in iudicio Roscium propter paterna bona. Sic igitur excusat oratores, Roscij amicos, qui tacerent, ut statum temporum accuset, nullo metu Sullae. quamquam, hac oratione habita, in Graeciam se contulit, aduersam ualitudinem simulans, reuera quod Sullae odium timeret. **OFFICIUM sequuntur**; & causam Roscij metu Sullae non agunt; ei tamen, iniuste uexato, adducti officio praesentes fauent. **ID QVOD in hac causa fieri necesse est**; & defendi Roscius non potest, nisi contra Chryfogonum uerba fiant: Chryfogonum autem accusare, quid aliud est, quam Sullam ipsum, cuius ille gratia nititur, & praesentem reip. statum in inuidiam uocare? **EGO** & cuius nec auctoritas, nec amplitudo eadem est. **NONDVM ad remp. accessi**, & nondum honores gesserat, ac ne aetate quidem erat senatoria, quae XXX annorum fuit, ut alio loco diximus. **NON modo ignoscendi** & hoc quoque contra Sullam, qui, quos ciuili bello aduersarios habuerat, eorum post uictoriam ignouisset nemini. **COGNOSCENDI** & cognoscere de criminib. praetores dicebantur. eam cognitionem, Sulla dominante, liberam non esse, non obscure narrat. Iudicabant autem hoc tempore soli senatores, lege Sullae: qui, equitibus iratus, quod a Marianis partibus steterant, cum alijs eos affecit incommodis, tum uero iudicandi munere, quod lege C. Grachi per annos XL tenuerant, priuauit: ut uerisimile sit, qui lege Sullae dominantis iudicia, equitibus erepta, administrarent, eius uoluntatem, cuius beneficio honorem illum ac potestatem essent adepti, in iudicando potissimum spectare debuisse. **UT DICERENT**, & ut Roscium defenderent. **SALVO officio** & quia non, ut a me, contenderunt ij, qui apud eos & amicitia, & beneficijs, & dignitate plurimum possent. ita licuit ijs Roscij causam saluo officio non suscipere. quod mihi non licuit. **CONTENDERUNT** & de illis dixit, Petitum; de se, Contenderunt; in quo uis maior. **AUCTORITATEM** & cum auctores mihi sunt, ut aliquid agam, sicuti auctores fuerunt, ut Roscij causam susciperem. **UOLUNTATEM** & quam pro Roscio summam ostenderunt. **NE OMNINO desertus** & tacite opem implorat ab equite iudicum; cum Roscius infirmo defensionis praesidio nitatur.

O R A .

O R A T I O

FORSITAN quaeratis, qui iste terror sit, & quae tanta formido, quae tot, ac tales viros impediatur, quo minus pro capite & fortunis alterius, quemadmodum consueverunt, causam uelint dicere. quod adhuc uos ignorare non mirum est: propterea quod consulto ab accusatoribus eius rei, quae conflauit hoc iudicium, mentio facta non est. quae res ea est? bona patris huiusce Sex. Roscij, quae sunt sexagies, quae de uiro fortissimo, & clarissimo L. Sulla, quem honoris causa nomino, duobus millibus nummum se se dicit emisse, adolescens uel potētissimus hoc tempore nostrae ciuitatis, L. Cornelius Chryfogonus. is a uobis, iudices, hoc postulat, ut, quoniam in alienam pecuniam, tam plenam, atque praeclaram, nullo iure inuaserit; quoniamque ei pecuniae uita Sex. Roscij obstare, atque officere uideatur; deleatis ex animo suo suspicionem omnem, metumque tollatis. se se, hoc incolumi, non arbitratur huius innocentis patrimonium tam amplum, & copiosum posse obtinere; damnato, & eiectione, sperat se posse, quod adeptus est per scelus, id per luxuriam effundere, atque consumere. hunc sibi ex animo scrupulum, qui se dies noctesque stimulat, ac pungit, ut euellatis, postulat, & ad hanc suam praedam tam nefariam adiutores uos profiteamini. Si uobis aequa & honesta postulatio uideretur, iudices; ego contra breuem postulationem assero, & quo modo mihi persuadeo, aliquanto aequiorum. Primum a Chryfoge non peto, ut pecunia, fortunisque nostris contentus sit, sanguinem, & uitam ne petat: deinde a uobis, iudices, ut audacium sceleri resistatis, innocentium calamitatem leuetis, & in causa Sex. Roscij periculum, quod in omnes intenditur, propulsetis. quod si aut causa criminis, aut facti suspicio, aut quaelibet denique uel minima res reperietur, quam obrem uideantur illi non nihil tamen in deferendo nomi-

ne secuti; postremo si praeter eam praedam, quam dixi, quidquam aliud causae inueneritis: non recusamus, quin illorum libidini Sex. Roscij uita dedatur. sin aliud agitur nihil, nisi ut ijs ne quid desit, quibus satis nihil est; si hoc solum hoc tempore pugnatur, ut ad illam epimam, praeclaramque praedam damnatio Sex. Roscij, uelut cumulus, accedat: non ne cum multa indigna, tum uel hoc indignissimum est, uos idoneos habitos, per quorum sententias, usque iuradum id assequantur, quod antea ipsi scelere, & ferro assequi consueverunt: qui ex ciuitate in senatum propter dignitatem, ex senatu in hoc consilium delecti estis propter seueritatem, ab hoc hoc postulare homines sicarios, atque gladiatores, non modo ut supplicia uitent, quae a uobis pro maleficio suis metuere, atque horrere debent, uerum etiam ut spolijs Sex. Roscij hoc iudicio ornati auctio. discedant. His de rebus tantis, tamque atrocibus neque satis me commode dicere, neque satis graueriter conqueri, neque satis libere uociferari posse intelligo: nam commo ditati ingenium, grauitati actus, libertati tempora sunt impedimento. huc accedit summus timor: quem militi natura, pudor, meos attribuit, & uestra dignitas, & uis aduersariorum, & Sex. Roscij pericula. Qua propter uos oro, atque obsecro, iudices, ut attente, bonaque cum uenia uerba mea audiat, fide sapientiaque uestra fretus, plus oneris sustuli, quam ferre me posse intelligo. hoc onus si nos aliqua ex parte alienabit, feram, ut potero, studio, & industria, iudices. sin a uobis, id quod non spero, deserat; tamen animo non deficiam, & id, quod suscepi, quoad potero, perferam. quod si perferre non potero, opprimi me onere officij malo, quam id, quod mihi cum fide semel impostum est, aut propter perfidiam abicere, aut propter infirmitatem animi deponere.

E X P L A N A T I O

SEXAGIES? quae sunt, nummo nostro, scutatorum CLXXX. millia. Quod autem Cicero, sexagies, Plutarchus CCL talenta dixit. quod idem est. nam talentum Atticum (id enim significatur in Latinis monumentis, cum nihil clarissimo, & a uiro clarissimo. nota locutio. ad Sextium: Cum de Crasso domum emissem. *Q*UEM honoris causa nomino, & cum nescirent, nominari, necne, aliquis uellet, hoc addebant, urbanitatis gratia, quem honoris causa nomino. & hoc de uiuis tantum: nam, si cuius mortui mentio fieret, omittebatur, ut eorum plis intelligitur. paullo post de familijs nobilissimis, Metellis, Seruilijs, Scipionibus, Quas familias, inquit, honestatis, atque amplitudinis gratia nomino. nec multo post: Romam confugit, & sese ad Caeciliam, nepotis filiam, quam honoris causa nomino, contulit. *D*UOBVS millibus nummum? scutatis sexaginta. nummus enim, & sestertius, idem sunt. Plutarchus empta dicit duobus millibus drachmarum, quadruplicata summa, id est octo millibus nummum. nam drachma, Graecus nummus, denario fere Romano respondet. denarius autem quattuor complectitur sestertios. *D*ICIT emisse? nam, si dixisset, emit, inuidiosum erat, & querella quaedam esse de statu reip. uidebatur, cum ea bona, quae essent sexagies, duobus millibus nummum a Sulla uenderentur: sed ait, *D*icit emisse: ut ostendat, in ea, non emptus Chryfogonum sua sponte, nullo iure fretum, Sullae gratia, inualisse. *A*DOLESCENS uel potentissimus hoc tempore nostrae ciuitatis, & singula uerba ad inuidiam Chryfogono ualent. *A*dolescens: qui luxuriae, libidiniq. feruiat, rationis & prudentiae propter aetatem expertus: *V*el potentissimus: quae potentia, si mediocris esset, in adolescente non probaretur, ea uel summa est. *H*oc tempore: cum ad unum referantur omnia. *N*ostrae ciuitatis: miserabiliter dictum: ut si dixisset. *V*idete nostram ciuitatem: in qua uel liberi licere sibi uolunt, quidquid liber. *L. C*ORNELIUS? & praenome, & nomen accepit a patrono Sulla, more libertorum. *I*S A VOBIS, iudices, hoc postulat, & mire, ad ostendam Chryfogoni audacia, iniquissima

suma postulatione utentē inducit. IN ALIENAM pecuniam ꝛ pecuniæ nomine bona Sex. Roscij cōprehen-
dit omnia. patrimoniu infra uocat; & quod hic, Tam plenam, atque praeclaram; ibi, Tam amplum, &
copiosum: & paullo post, Opimam, praeclaramq. praedam. QVONIAM ꝛ ei pecuniae uita Sex. Roscij
obstare, atque officere uideatur; ꝛ causam indicat, cur accusandum Roscium Chrylogonus curauerit, &
cur eundem condemnari cupiat. PER scelus ꝛ per necem Roscij patris. PER luxuriam effundere, ꝛ natu-
ram, & consuetudinem notat Chrylogoni, qui per scelus adepta, per luxuriam effunderet. UT AD
hanc suam praedam tam nefariam adiutores uos profiteamini. ꝛ turpis & iniqua postulatio, oratorie exagi-
tata ad conuertendos iudicum animos ad miserationem afflictī & innocentis rei. QVOMODO mihi per-
suadeo, ꝛ modeste fingit id se credere, quod qui non credat, uir bonus esse non potest. A CHRYSOGO-
NO peto, ꝛ ut ab adolescente potentissimo. QVOD in omnes intenditur, ꝛ argumentum a communi,
nam, si Roscius damnatur, periculum fortunis communibus impendet. tale illud pro Deiotaro: Non
tam afflictam regiam conditionem dolebam, quam de fortunis communibus extimescebam. CAUSSA
criminis; ꝛ caussa, cur patrem Roscij necare debuerit. IN DEFERENDO nomine ꝛ in Roscio accusan-
do. NON recusamus, quin illorum libidini Sex. Roscij uita dedatur. ꝛ in uerbo, Dedatur, inest haec uis:
ut agant in eum aduersarij pro summa potestate, quidquid libeat. Similiter pro Quintio: Inferiorem
se esse patitur, dumtaxat utque eo, ne cum bonis, fama, fortunisque omnibus Sex. Naenij cupiditati, cru-
delitatisq. dedatur. QVIBVS satis nihil est; ꝛ ob luxuriam in Chrylogonum: de quo paullo ante: Spe-
rat se posse, quod adeptus est per scelus, per luxuriam effundere, atque consumere. Vos idoneos habi-
tos, ꝛ quia Roscium apud uos de parricidio accusandum putariunt, sperantes uestris eum sententijs con-
demnatum iri. ID ASSERVANTVR, ꝛ ut aliena bona possideant. Ex SENATV in hoc consilium dele-
cti estis ꝛ delecti a praetore, de parricidijs quaerente, ex ijs iudicibus, quos ex ordine senatorio, trecen-
tos, ut opinor, quemadmodum ante legem Gracchi, fortitō educi hoc tempore lex Sullae iubebat.
A VOBIS ꝛ eo de crimine cognoscentibus. SPOIIS Sex. Roscij ꝛ tamquam hoste deuicto. ORNA-
TI, ꝛ more uictorum. VESTRA dignitas, ꝛ cum, apud quos uiros dicam, animaduerto. Commo-
de, ad ingenium; Grauit, ad auctoritatem; Libere, ad iniquitatem temporum refertur. haec enim
sibi obstare dicit omnia. BONA ꝛ cum uenia ꝛ si quid peccauero, si qua in re defecero, propter eas caus-
sas, quas proxime exposui. FIDE, ꝛ quia puto uos pro fide uestra, iureiurando obstricta, sententiam la-
turos esse. ALLEVABITIS; ꝛ benigne me audiendo. STUDIO, & industria, ꝛ quidquid studij, indu-
striaeq. potero, ad dicendum conferam. ID QVOD non spero, ꝛ id quod non metuo. Eodem sensu Vir-
gilius lib. IV. Aen. Hunc ego si tantum potui sperare dolorem. DEPONERE. ꝛ translationem, in eo
coeptam, Plus oneris sustuli, quam ferre me posse intelligo, multis deinde uerbis exornatam, hoc deni-
que concludit.

ORATIO

TE quoque magnopere, M. Fanni, quaeso, ut, qua-
lem te iam antea populo R. praebuisti, cum huic
idem quaestioni iudex praeesse, talem te & nobis, &
populo R. hoc tempore impertias. quanta multitudo
hominum conuenerit ad hoc iudicium, uides, quae sit
omnium mortalium expectatio, quae cupiditas, ut
acria ac seuera iudicia fiant, intelligis. longo interual-
lo iudicium inter sicarios hoc primum committitur,
cum interea caedes indignissimae, maximaeq. factae
sint. omnes hanc quaestionem, te praetore, de mani-
festis maleficijs, quotidianoq. sanguine haud remissius
sperant futuram. qua uociferatione in ceteris iudicijs
accusatores uti consueverunt, ea nos hoc tempore uti-
mur, qui causam dicimus. petimus abs te, M. Fanni,
a uobisq. iudices, ut quamacerrime maleficia uin-
dicetis, ut quamfortissime hominibus audacissimis re-
sistatis, ut hoc cogitetis, nisi in hac causa, qui uester
animus sit, ostendatis, eo prorumpere hominum cupi-
ditatem, & scelus, & audaciam, ut non modo clam, ue-

rum etiam hic in foro, ante tribunal tuum, M. Fanni,
ante pedes uestros, iudices, inter ipsa subsellia cae-
des futurae sint. etenim, quid aliud hoc iudicio tenta-
tur, nisi ut id fieri liceat? accusant u, qui in fortunas
huius inuaserunt: ca ꝛ icit is, cui praeter calami-
tatem nihil reliquerunt. ꝛ usant u, quibus occidi pa-
trem Sex. Roscij bono fuit: causam dicit is, cui non
modo luctum mors patris attulit, uerum etiam egesta-
tem. accusant u, qui hunc ipsum iugulare summe cupi-
erunt: causam dicit is, qui etiam ad hoc ipsum iudi-
cium cum praesidio uenit; ne hic ibidem ante oculos ue-
stros trucidetur. denique accusant u, quos populus
poscit: causam dicit is, qui unus relictus ex illorum
nefaria caede restat. atque, ut facilius intelligere possi-
tis, iudices, ea, quae facta sunt, indigniora esse,
quam haec sunt, quae dicimus; ab initio res quemad-
modum gesta sit, uobis exponemus; quo facilius &
huius hominis innocentissimi miserias, & illorum au-
daciam cognoscere possitis, & reip. calamitatem

EXPLANATIO

M. FANNI, ꝛ praetor. CVM huic idem quaestioni iudex praeesse, ꝛ iudicia de sicarijs ciuili bello
intermissa fuerant. Sulla uictor & temp. & iudicia restituit. praefuerat igitur Fannius ante bel-
lum huic quaestioni, iudex tamen, non praetor. nam praetor non iudicat, sed quaerit de crimine, unde
quaestoris nomen; contra iudex quaestoris non quaerit, sed iudicat, & quaestioni praest. itaque in
eodem

eodem iudicio & praetor est, & iudex quaestionis, ut in causa Verrii repetundarum, praetor M. Aelius Glabrio, iudex quaestionis Q. Curtius. quod si praetor Fannius ei quaestioni tunc praefuisset: his praetorem fuisse, cogemur credere: quod inusitatum fuisse, uno tantum, quod sciam, M. Marij Gracidiani exemplo, satis constat. Differre etiam iudicem quaestionis a praetore, argumento illud est, quod praetor, seruaturum se esse leges, non iurabat; quod ex multis locis intelligitur; iudex autem quaestionis iurabat: quod quia minus notum, probandum uidetur. est igitur in oratione pro Cluentio, de quaestione iudice C. Iunio: Multam petiuit: qua lege? quod in legem non iurasset. Accedit illa causa, quod, qui praetoram gereret, condemnari eum in magistratu, mos non fuit. nam post magistratum, non in magistratu, reddere rationem oportebat earum rerum, quae quis in gerendo magistratu contra leges commisisse putaretur: at C. Iunius, cum esset iudex quaestionis, tum est condemnatus. Nam Pedianum non audio, dicentem: Iunius quaesitor fuit in Cluentij causa, Verre praetore. ex quo sequeretur, duos quaesitores in eadem causa fuisse, Iunium, & Verrem. & ipse Pedianus alio loco principem iudicem Iunium appellat, non excludens eum a numero iudicum, sed principem ei locum tribuens. Aut igitur errauit Asconius: aut mendosi libri sunt: aut, Quaesitor, pro, quaestionis iudex, dicitur putemus. Obijci potest, ut ex contraria quadam ratione, Q. Voconium Nasonem, cuius quaestio fuit de ueneficijs, iudicem quaestionis dici, cum praetor sit. sic enim in eadem oratione scriptum est: Iubet lex ea, qua lege haec quaestio constituta est, iudicem quaestionis, hoc est Q. Voconium, cum iis iudicibus, qui ei obuenerint, quaerere de ueneno. Respondetur, legem communiter loqui, nec praetorem, nec iudicem proprie significare, sed eum, cui iudices obuenerint, quique iudicio praefuerit. praerat autem in Cluentij causa non iudex quaestionis, sed Voconius praetor, quaestionem illam sortitus. ideo subiungit Cicero, Hoc est Q. Voconium. At iudices praetori obueniebant, non iudici quaestionis. Qui probatur? fieri enim potest, ut interdum sine praetore iudex quaestionis iudicio praefuerit, & quaesierit. quod si ita est: defenditur Asconius, qui Iunium quaesitorem appellauerit. nam Verrem, praetorem urbanum, quaesitisse de ueneno, mihi quidem uerisimile numquam fiet. *LONGO interuallo?* distiam, aliquot annis propter civile bellum, cum summa esset in urbe gladiatorum licentia, caedesq. maximae fierent, intermissa fuisse de sicarijs iudicia: quippe, cum dominarentur ij, quorum iussa, permisso ne caedes fierent. *Hoc primum committitur,* & gratia, & potentia Chryfogoni, Roscium de medio tollere cupientis. Committitur, proprie, de re, cuius initium sit, ut Committere ludos, apud Ciceronem; proelium, apud Caesarem, spectaculum, apud Liuium, pro incipere. *Hanc quaestionem?* tibi hoc anno sorte datam. *QUOTIDIANO Q. sanguine?* ut in uictoria solet accidere, suum quemque inimicum, spretis legibus, ulciscente. *QUI causam dicimus.* & qui rei sumus. causam enim dicere, reorum est: & causam dixit de repetundis, de ambitu, de maiestate, quae crebro reperiuntur, nihil aliud est, quam, accusatus est de repetundis, de ambitu, de maiestate. *Hic in foro, ante tribunal tuum,* & in foro iudicia fiebant, in ea parte, quae Comitium uocabatur, in basilicis. *INTER ipsa subsellia?* trina subsellia erant, iudicum, reorum, accusatorum. Asconius, minorum quoque magistratum, qui non sederent in sellis curulibus, ut tribunorum, triumuirorum, quaestorum, ait subsellia fuisse, tribunalia uero praetorum. *BONO fuit:* & cum in eius bona inuaserint, quod argumento est, ab ipsis occisum esse. idem, potissimum in causis quaerendum esse, L. Cassius ille, qui scopulus reorum ob nimiam feruenteriam dictus est, exstimabat. infra: L. Cassius ille, quem populus Romanus uerisimum & sapientissimum iudicem putabat, identidem in causis quaerere solebat, cui bono fuisse. Pro Milone: Illud Cassianum, Cui bono fuerit, in his personis ualeat. Quo loco Asconius, L. Cassius, inquit, summae uir feruenteris, quoties quaesitor iudicij alicuius esset, in quo quaereretur, cui bono fuisse perire eum, de cuius morte quaereretur. Idem obijcit Antonio de morte Caesaris Phil. II. Quod si te, inquit, in iudicium quis adducat, usurpetq. illud Cassianum, Cui bono fuerit: uide, quaesio, ne haereas. *TRIVIDENTUR.* & nam, ut infra dicitur, aduersarij eius ad iudicium cum ferro, telisq. uenerant, freti potentia Chryfogoni, Sullae liberti. *QUOS populus poscit:* & ad poenam, propter caedes, aliaq. scelera. De Chryfogono maxime dictum uidetur. *REIP. calamitatem.* & in qua haec impune fiunt, in Sullam.

O R A T I O

S Ex Roscius pater huiusce, municeps Amerinus, fuit cum genere, & nobilitate, & pecunia non modo sui municipij, uerum etiam eius uicinitatis facile primus, tum gratia, atque hospitij florens hominum nobilissimorum. nam cum Metellis, Seruilijs, Scipionibus erat ei non modo hospitium, uerum etiam domesticus usus, & consuetudo, quas, ut aequum est, familias honestatis amplitudinisq. gratia nomino. itaque ex suis omnibus commodis hoc solum filio reliquit. nam patrimonium domestici praedones uereptum possident: fama, & uita innocentis ab hospitibus, amicisq. paternis defenditur. hic cum omni tempore no-

bilitatis fautor fuisse, tum hoc tumultu proximo, cum omnium nobilium dignitas, & salus in discrimen ueniret, praeter ceteros in ea uicinitate eam partem, causamq. opera, studio, auctoritate defendit. etenim reatum putabat, pro eorum honestate se pugnare, propter quos ipse honestissimus inter suos numerabatur. postea quam uictoria constituta est, ab armisq. recessimus; cum proscriberentur homines, atque ex omni regione caperentur ij, qui aduersarij fuisse putabantur: erat ille Romae frequens, atque in foro, & in ore omnium quotidie uersabatur, magis ut exsultare uictoria nobilitatis uideretur, quam timere nequid ex ea calamitatis.

miratis sibi accideret .erant ei ueteres inimicitiae cum duobus Roscijs Amerinis: quorum alterum sedere in accusatorum subsellijs uideo, alterum tria huiusce praedia possidere audio. quas inimicitias si tam caute potuisset, quam metuere solebat, uiueret. neque enim, iudices, iniuria metuebat: nam duo isti sunt T. Roscij, quorum alteri Capioni cognomen est; iste, qui adest, Magnus uocatur: homines eiusmodi: alter plurimarum palmarum uetus ac nobilis gladiator habetur: hic autem nuper se ad eum lanistam contulit: qui, cum ante hanc pugnam tiro esset scientia, facile

ipsum magistrum scelere, audaciaq. superauit. nam, cum hic Sex. Roscius esset Ameriae, T. autem iste Roscius Romae; cum hic filius assiduus in praedijs esset, cumq. se uoluntate patris rei familiari, uitaq. rusticae dedisset; iste autem frequens Romae esset; occiditur ad balneas Palatinas rediens a cena Sex. Roscius. Spero ex hoc ipso non esse obscurum, ad quem suspicio maleficij pertineat. uerum id, quod adhuc est suspiciosum, nisi perspicuum res ipsa fecerit, hunc affinem culpae iudicatore.

EXPLANATIO

SVI municipij? Municipia dicta, quia muneris partem caperent, ciuitate Romana donati. Sed a principio data ciuitas est sine suffragio: postea ius quoque suffragij concessum. & sua cuiusque municipij tribus erat, in qua censebatur, & suffragium ferebat. Asconius act. in Verrem: Conuenerat ex municipijs cuiuscumque modi multitudo, aut, propter comitia, suffragiorum causa; aut ut censerentur. Ex municipijs autem multi Romam profecti, magistratus, etiam maiores, adepti sunt; ut Tuscule Ti. Coruncanius, & M. Cato ille censorius. sed municipiorum triplex diuersis temporibus condicio fuit. Primum ciuitas alijs cum suffragio, alijs sine suffragio data fuit: quibus autem cum suffragio, iis magistratus petere licebat, & Romanis legibus utebantur: quibus sine suffragio, magistratus non petebant, suis, non Romanis legibus uiuebant, uel sua sponte, quod seruandarum legum Romanarum onere libenter uacarent, uel quod ita populo Romano uisum esset. Hanc uarietatem usque ad legem Iuliam mansisse arbitror: quae socialis belli anno primo, in summo reip. discrimine, sociorum irae placande causa a Sex. Iulio consule lata, municipiorum, ut arbitror, omnium iura exaequauit, nullo ferendi suffragij potestate excluso. Haec denique mutata condicio est, cum municipes libertatem suam, Romanis solutam legibus, suffragio, & magistratibus anteferrent. id perspicue docet Gellius lib. XVI. c. 13. cum ait, Petuisse Praenestinos a Tiberio Imperatore, ut ex colonia in municipij statum redigerentur; idq. illis Tiberium pro referenda gratia tribuisse, quod in eorum finibus, sub ipso opido, ex capitali morbo reualuisset. Quo loco subiungit haec: Municipes ergo sunt ciues Romani ex municipijs, suo iure, & legibus suis utentes, muneris tantum cum populo Romano honorarii participes, a quo munere capeffendo appellati uidentur, nullis alijs necessitatibus, neque ulla populi Romani lege adstricti. Quis non uidet haec ab ea consuetudine, quae post Iuliam legem fuit, admodum differre, & municipia Romanos honores contemnere coepisse, qua in sententia ante legem quoq. Iuliam nonnulla fuisse, ex Luitio, & Cicerone intelligitur. **METELLIS, Seruilijs, Scipionibus?** Metellis, Seruilijs, plebei generis; Scipionibus patricij. erant autem hae tres familiae propinquitate coniunctae. Seruilius enim & Scipiones Metellarum filios fuisse, auctor est Cicero in ea post reditum ad Quirites. potest autem significare Q. Metellum Nepotem, patrem eius, qui cum Lentulo Spinthere consul fuit, & Seruilius illum, qui sequenti anno consulatum cum C. Curione gessit, & de Iauris ex Cilicia triumphauit. unde Iaurici cognomen: Scipionem autem illum, cuius filius Pompeii Magni focer fuit, consulatumq. gessit cum ipso Pompeio III consule. horum enim filii adolescentuli, uel pueri potius erant hoc tempore. **NOBILITATIS?** Sullanarum partium. nam optimates pro Sulla, plebs, & equester ordo pro Mario pugnauit. Hoc tumultu proximo? C. Marii filio, & Cn. Carbone cos. quo anno Sulla, caelis, aut Italia pulsus inimicis, rerum potitus est. **PROPTER quos?** nam Metelli, Seruilijs, Scipiones, paullo ante nominati, in Sullae partibus fuerunt. **QUORVM alterum?** T. Roscium Magnum. **ALTERVM?** T. Roscium Capionem. **HUIUSCE?** Sex. Roscii filij, qui reus erat. **QVI adest,** quem sedere dixit in accusatorum subsellijs. **ALTER?** Capito, qui aberat. **PLVRIMARVM palmarum?** qui multas caedes commisit. infra: Alias suas palmas cognoscer. Palmas nominat, quia palmis gladiatores post uictoriam coronabantur, auctore Gellio lib. IV. Gladiatorem uocat, ut peritum armorum tractandorum, & in caede uersatum. **HIC?** Magnus, qui adest. **AD EVM lanistam contulit?** ut erudiretur ab eo, interficiendorum hominum scientia. **HIC Sex. Roscius?** de quo coepi uerba facere, cui duobus cum T. Roscijs inimicitias fuisse dixi. **ISTE?** Magnus. **VOLUNTATE patrijs?** non ablegatus ab eo, ut accusatores obiciunt, inde parricidij causam fumentes. **ISTE autem Romae frequens esset;** iterat idem de Roscio Magno, ut suspicionem iniiciat eius insidiarum in uitam Sex. Roscii. & haec est altera causa, unde suspicio nascitur: prima uero illa, quod Sex. Roscii inimicus. **Ex hoc ipso?** quod occiditur Sex. Roscius, cum inimicus eius T. Roscius Romae esset. **Hunc?** Sex. Roscium filium.



O R A T I O

OCCISO Sex. Roscio, primus Ameriam nunciat Mallius Glaucia quidam, homo tenuis, libertinus, cliens, & familiaris istius T. Roscij: & nunciat domum, non filij, sed T. Capitonis inimici. & cum post horam primam noctis occisus esset, primo diluculo nuncius hic Ameriam uenit. decem horis nocturnis sex & quinquaginta millia passuum cisjys peruolauit; non modo ut exoptatum inimico nuncium primus afferret, sed etiam cruorem inimici quam recentissimum, telumq. paullo ante e corpore extractum ostēderet. quattriduo, quo haec gesta sunt, res ad Chryfogonum in castra L. Sullae Volaterras defertur: magnitudo pecuniae demonstratur: bonitas praediorum (nam fundos decem & tres reliquit, qui Tiberim fere omnes tangunt) huius inopia, & solitudo commemoratur. demonstrant, cū pater huiusce Sex. Roscius, homo tam splendidus, & gratiofus, nullo negotio sit occisus, persuaibile hunc, hominem incautum, & rusticum, & Romae ignotum, de medio tolli posse. ad eam rem operam suam pollicentur. ne diutius uos teneam, iudices, societas coitur. cum iam proscriptionis mentio nulla fieret; & cum,

etiam qui antea metuerant, redirent, ac iam defunctos sese periculis arbitrentur: hominis studiosissimi nobilitatis maniceps fit Chryfogonus; tria praedia uel nobilissima Capitoni propria traduntur, quae hodie possidet: in reliquis omnes fortunas iste T. Roscius nomine Chryfogoni, quemadmodum ipse dicit, impetum facit, haec bona sexages H-S, emuntur duobus millibus nimum. haec omnia, iudices, imprudente L. Sulla facta esse certo scio. neque enim mirum, cum eodem tempore, & ea, quae praeterita sunt, & ea, quae uidentur instare, praeparet, cum & pacis constituendae rationem, & belli gerendi potestatem solus habeat; cum omnes in unum spectent, unus omnia gubernet; cum tot rētiq. negotijs dissentus sit, ut respirare libere non possit; si aliquid non animaduertat; cum praesertim tam multi occupationem eius obseruent, tempusq. aucupentur, ut, simul atque ille despexerit, aliquid huiuscemodii moliantur. huc accedit, quod, quamuis ille felix sit, sicut est, tamen tanta felicitate nemo potest esse in magna familia, qui neminem neque seruum, neque libertum improbum habeat.

E X P L A N A T I O

MANLIUS Glaucia? ex antiquo Maffiorum libro, Mallius, lego, non Manlius, item infra: eodemq. modo legendum in ea pro Murena, a Cn. Mallio, non, a Cn. Manlio: & in ea pro Plancio, Mallium, non, Manlium: suffragantibus ubique antiquis libris, nec dubia ueritate, cum nobiles Manlij, ignobiles admodum Mallij fuerint. Et hic subiicitur, ut de obscurae conditionis homine, Quiddam, homo tenuis, libertinus, cliens, & familiaris istius T. Roscij. Irrepsit hoc mendum in alios quoque libros. nam quod est in ep. ad Acilium, L. Manlius est Sosis, legitur in antiquis, L. Mallius. TENNIS, § pauper: ut cum ad facinus paupertas impulsisse uideatur; qui praesertim & cliens, & familiaris T. Roscij Magni, qui Romae erat, cum illa commissa caedes est. infra: Quid si accedit eodem, ut tenuis antea fueris. LIBERTINVS, § locus postulat, ut de Libertis, & Libertinis dicamus aliquid, communis intelligentiae causa. Libertus, & Libertinus interdum differunt, interdum idem sunt: utrumque patet, si tempora distinguantur. nam priscis temporibus, idest ante Appium Caecum censorem, & aliquanto post liberti uocabantur, qui manumissi fuerant, libertini autem ex his nati. Ciceronis uero aetate, & ante aliquanto, & post, liberti & libertini iisdem dicti, idest qui manumissi fuerant. quam diu autem libertini uocabantur ij, qui ex libertis nati erant, tunc ingenuitas incipiebat in libertinorum filijs, nepotibus eorum, qui aliquando seruitutem seruierant. Sed, ubi libertinorum nomen ad ipsos, qui seruierant, transit, tunc ingenui erant, non libertini, ut antea, sed libertis nati. ex quo emergit, habita duarum aetatum ratione, duplex libertini, duplex item ingenui definitio: libertini, ut: Libertinus est liberti filius. quae definitio in superiorem aetatem conuenit. item: Libertinus est, qui manumissione libertatem consequitur. quae definitio ad posteriorem aetatem pertinet. Duplex libertini definitio, duplicem ingenui definitionem parit. nam, si una tantum esset, unam similiter ingenui definitionem oporteret esse. Prior haec: Ingenuus est, qui libertinum patrem habuit. quae definitio priorem sequitur libertini definitionem. Posterior: Ingenuus est, qui ex liberto natus est. quae definitio ad posteriorem accedit libertini definitionem. Primum igitur non libertini, sed liberti uocabantur, qui aliquando seruierant, libertini autem eorum filij: postea libertini illi ipsi, qui seruierant. qua de re, quod in Claudio scripsit Suetonius, operae pretium est scire. Latum clauum, inquit, quamuis initio affirmasset, non lecturum se senatorem, nisi ciuis Romani abnepotem, etiam libertini filio tribuit, sed sub conditione, si prius ab equite Romano adoptatus esset. ac sic quoque reprehensionem uerens, etiam Appium Caecum censorem, generis sui proauctorem, libertinorum filios in senatum allegisse docuit, ignarus, temporibus Appij, & deinceps aliquandiu, libertinos dictos non ipsos, qui manumitterentur, sed ingenuos ex his procreatos. Quam locum ita interpretor. Affirmauerat Claudius, nolle se quemquam in senatum legere, nisi antiquo more: postea tantum abest, ut antiquam consuetudinem seruauerit, ut recentiore etiam, quae aliquid amplius concedebat, neglexerit. Antiquus mos hic fuerat, ne senator esse posset, qui abatum suum ciuem Romanum nominare non posset: ut quamlongissime a seruili forde & faece distaret, per hos enim quasi gradus ad ingenuitatem adscensus olim dabatur. Libertus ciuis erat, sed publico nullo, nisi appar-

toris, aut coactoris fungebatur munere. apparitores autem erant scribae, praecones, interpretes, accensii, lictores, uiatores, statores. haec enim ueteres munera, ut Ciceronis ad fratrem epistola declarat, libertis deferebant; excepto tamen scriptu: postea uero scribae quoque liberti fuere. In quattuor autem urbanis tribubus, quas rusticis ignobiliores fuisse Plinius docet, suffragium libertos tulisse constat, ne cum ingenuis confunderentur. Libertinus, liberti filius, eodem iure. Libertini filius, liberti nepos, ingenuus erat, ideoque iure meliore: ferebat enim suffragium in tribu rustica ut ingenuus; magistratus tamen non capiebat; neque senatorij, neque equestris erat ordinis, sed tertij, idest de plebe. huius generis prisca aetate scribas fuisse, exemplo cognoscitur Cn. Flauij scribae, libertino patre nati: qui creatus aedilis non fuisset, nisi tabulas posuisset, scriptu sese abdicasse. creatum autem nobilitas aegerrime tulit, ut prae dolore anulos deposuerit. Liuius, Plinius, Gellius. Ingenuus, ingenui filius, libertini nepos, liberti pronepos, meliore, quam pater, iure. eques enim Romanus esse poterat, sed aditum in curiam non habebat. quod e Suetonij uerbis elicitur: qui senatorium ordinem tribui solitum a ueteribus ostendit, non ciuium Romanorum pronepotibus, uerum abnepotibus. Ingenuus, ingenui filius, & nepos, libertini pronepos, liberti abnepos, meliore, quam pater, & auus, iure. in senatum enim legi poterat, & honores, magistratusque capere. Est igitur hic ingenuus, postremo nominatus, ciuis Romani abnepos. ex hoc genere lecturum se senatores, & ex antiquo instituto, Claudius affirmauerat: sed ita sententiam mutauit, ut non modo pronepote, aut nepote, sed filium eius Romani senatorem legerit, cuius pater aliquando seruitutem seruierat. mox agnouit culpam, & uitari eam a se credidit, si is, quem lecturus erat, ab equite Romano prius adoptatus esset. Ita uidebatur, cum legeret equitis Romani filium adoptiuum, legere ciuis Romani abnepotem. nam eques, ut ostendi iam, non poterat esse, qui pronepos ciuis Romani non esset: ita filius equitis, abnepos erat ciuis Romani. Sed, quoniam pater adoptiuus, & naturalis non idem sunt; ideo ueritus Claudius, ne lectionem illam suam aliquis, ut inuistatam, reprehenderet, quod malitiosa fraus in quaesito per adoptionem equestris ordinis patre cerneretur, alia quadam ratione suum factum excusare conatus est: dixit enim, se Appij Caeci exemplo senatorem legisse, libertini filium, ignarus, non eosdem aetate Appij Caeci, qui erant aetate sua, libertinos fuisse. nam Appij temporibus, & deinceps aliquandiu, libertinus dicebatur liberti filius: postea uero, quasi uia breuiore ad ingenuitatem patefacta, libertinus appellatus est, qui antea libertus uocabatur, idest is, qui seruitutem aliquando seruierat, & manumissus libertatem adeptus erat. ita ueteris libertini filius a seruitute longius, quam noui libertini filius, aberat: cum ille auum liberum nominare posset, hic non posset. Quod autem subiunxit Suetonius, libertinos olim dictos, non ipsos, qui manumitterentur, sed ingenuos ex his procreatos: contraria loqui uidetur: quia, si erant ingenui, qua ratione libertini dicebantur? Verum in eo rationem habuit eius temporis, quo ipse haec litteris mandabat. quasi diceret: Libertini tunc uocabantur, qui hodie sunt ingenui, ex manumissis procreati. quem morem idem Suetonius confirmat in Augusto. Valerius inquit, Messalla tradit, neminem umquam libertinorum adhibitum ab eo cenae, excepto Mena, sed asserto in ingenuitatem. Inter libertinos nominat Menam; quem libertum fuisse Pompeij Magni, notum est. Idem in uita Oracilij rhetoris uocat eum libertinum, quem seruasse iam dixerat. Et in uita Seruij Nicanoris: Satyras fecit, in qua libertinum se ostendit. At is in satyrae uersibus, qui subiunguntur, libertum se nominat. Et Valerius Max. lib. VI. cap. 2. Aelium Manciam libertini filium appellat, eundemque paulo post reddere ait paternam seruitutem. Varro lib. VII. Alij nomina habent ab opidis, alij aut non habent, aut non, ut debent, habent. habent plerique libertini a municipio manumissi. Libertinos appellat manumissos. Quintilianus etiam lib. V. cap. 10. Qui seruus, inquit, est, si manumittatur, fit libertinus, non item addictus. Idem lib. VII. cap. 3. Seruus, cum manumittitur, fit libertinus: addictus recepta libertate est ingenuus. Et Martialis lib. V. infra ingenuam statim libertinam ponit, infra libertinam uero ancillam:

Ingenuam malo; sed, si tamen illa negetur,

Libertina mihi proxima condicio est.

Extremo est ancilla loco: sed uincet utramque,

Si facie nobis haec erit ingenua.

Nec obscure de libertinis Cicero loquitur ep. 2. lib. II. ad Att. cum ait: An libertinis, atque etiam seruis seruiamus? Nam seruis condicione proximi sunt liberi, nihil interest medium. Ad hanc posterioris iurisconsulti consuetudinem respexere, ingenuum sic definiens: Ingenuus est, qui statim ut natus est, liber est. sic enim ingenuitas datur ei, qui libertus natus sit. CISIUS § genus uehiculari fuit, duabus rotis uelocissime currentis. Phil. 2. VOLATERRAS § quod municipium, Marianis amicis partibus, obsessum cum in deditionem accepisset, agrum eorum publicauit, neque diuisit. ex quo illud ad Valerium Orcam: Summo studio populi a me in consulatu meo defensi sunt. cum enim tribuni pl. legem iniquissimam de eorum agris promulgassent; facile senatui, populoque Romano persuasi, ut eos ciues, quibus fortuna pepercisset, saluos esse uellent. TIBERIM § non sub urbe, sed qua fluit ad urbem uersus, in Amerino agro. SOCIETAS coitur. § inter Chrysgonum, duosque T. Roscios. CVM iam proscriptionis mentio nulla fieret, § desierat iam proscriptio, sic, ut eius mentio nulla fieret. MANCEPS fit § emit eius bona in auctione, tamquam proscripti: cum neque tum proscriptionis mentio ulla fieret, & nobilitatis, idest Sullanarum partium, studiosissimus fuisset Roscius. DESPERERIT, § oculos demiserit. LIBERTVM § tacite carpit Chrysgonum. FELIX sit, § quod sibi cognomen adsciuerat.

O R A T I O

INTEREA iste T. Roscius, uir optimus, procurator Chryfogoni, Americam uenit; in praedia huius inuadit; hunc miserum, luctu perditum, qui non dum etiam paterno funeri iusta soluisset, nudum eicit domo, atque focis patrijs, dijsq. penatibus praecipitem, iudices, exturbat: ipse amplissimae pecuniae fit dominus: qui in sua re fuisset egentissimus, erat, ut fit, insolens in aliena: multa palam domum suam auferbat, plura clam de medio remouebat: non pauca suis adiutoribus large effuseq. donabat, reliqua constituta auctione uendebat. quod Amerinis usque eo uisum est indignum, ut urbe tota stetus gemitusq. fieret. etenim multa simul ante oculos uersabantur; mors hominis florentissimi, Sex. Roscij crudelissima; filij autem eius egestas indignissima, cui de tanto patrimonio praedo iste nefarius ne iter quidem ad sepulcrum patrum reliquisset; bonorum emptio, flagitiosa possessio, furta, rapinae, donationes. nemo erat, qui non ardere omnia mallet, quam uidere in Sex. Roscij, uiri optimi, atque honestissimi, bonis iactantem se, ac dominantem T. Roscium. itaque decurionum decretum statim fit, ut decem primi profisciantur ad L. Sullam; doceantq. eum, qui uir Sex. Roscius fuerit; conuerantur de istorum scelere, & iniurijs; orent, ut & illius mortui famam, & filij innocentis fortunas conseruatas uelit, atque ipsum decretum, quaeeso, cognoscite. **DECRETVM. DECVRIONVM.** Legati in castra ueniunt. intelligitur, iud. id quod iam ante dixi, imprudente L. Sulla scelera haec & flagitia fieri, nam statim Chryfogonus & ipse ad eos accedit, & homines nobiles allegat ijs, qui peterent, ne ad Sullam adirent, & omnia Chryfogonum, quae uellent, esse facturam pollicerentur. usque adeo autem ille pertimuerat, ut mori mallet, quam de his rebus Sullam doceri. homines antiqui, qui ex suam natura ceteros fingerent, cum ille confirmaret sese nomen Sex. Roscij de tabulis exempturum, praedia uacua filio traditurum; cumq. id ita futurum T. Roscius Capito, qui

in x legatis erat, adpromitteret, crediderunt, Americam re inorata reuerterunt. ac primo re differre quod ac procrastinare isti coeperunt, deinde aliquantulum lentius, nihil agere, atque deludere, postremo, id quod facile intellectum est, insidias uitae huiusce Sex. Roscij parare, neque sese arbitrari posse diutius alienam pecuniam, domino incolumi, obtinere. quod is simul atque sensit, de amicorum cognatorumq. sententia Romae confugit, & sese ad Caeciliam Nepotis filiam, quam honoris causa nomino, contulit, qua pater usus erat plurimum. in qua muliere, iudices, etiam nunc, id quod omnes semper existimauerunt, quasi exempli causa ne stigia antiqui officij remanent. ea Sex. Roscium inopem, ciectum domo, atque expulsum ex suis bonis, fugientem latronum tela & minas, recepit domum, hospitium, oppresso iam, desperatoq. ab omnibus opitulata est. eius uirtute, fide, diligentia factum est, ut hic potius uiuus in reos, quam occisus in proscriptos referretur. nam, postquam isti intellexerunt, summa diligentia uitam Sex. Roscij custodiri, neque sibi ullam caedis faciundae potestatem dari; consilium ceperunt plenum sceleris, & audaciae, ut nomen huius de parricidio deferrent; ut ad eam rem aliquem accusatorem ueterem compararent, qui de ea re posset dicere aliquid, in qua re nulla subesset suspicio; denique, ut, quoniam crimine non poterant, tempore ipso pugnarent: ita loqui homines, quod iudicia tandem facta non essent, condemnari eum oportere, qui primus in iudicium adductus esset; hinc autem patronos propter Chryfogoni gratiam defuturos; de bonorum uenditione, & de ista societate uerbum esse facturum neminem, ipso nomine parricidij, & atrocitate criminis, fore, ut hic nullo negotio tolleretur, cum ab nullo defensus esset. hoc consilio, atque adeo hac amentia impulsus, quem ipsi, cum caperent, non potuerunt occidere, eum uigilandum uobis tradiderunt.

EXPLANATIO

AMPLISSIMAE pecuniae & pecuniam pro bonis posuit, ut supra, Quonia in alienam pecuniam, tam ple nam, atque praeclaram, nullo iure inuaserit, infra: Neque sese arbitrari diutius alienam pecuniam domino incolumi obtinere. Hermogenianus l. pecuniae, ff. de rerum sign. Pecuniae, inquit, nomine, non modo nummi, sed omnes res tam solidae, quam mobiles, & tam corpora, quam iura, continentur. **INSOLENS** & dissolutus, profusus. id enim ualet, Insolens, in ep. ad Pactum: In Epicuri nos aduertarii nostri castra coniecimus, nec tamen ad hanc insolentiam, sed ad illam tuam lautitiam. Phil. XIII. Mirifice Seruius maiorum continentiam diligebat, huius saeculi insolentiam uituperabat. **NE ITER quidem ad sepulcrum patrum** & ne agrum quidem illum, per quem ad sepulcrum patrum iter erat. sepulcra tunc in urbibus non erant, sed in agris. ideo sepulcrorum ueterum inscriptiones cum alibi circa urbem Romam, tum in Appia uia repertae sunt plurimae. **T. ROSCIUM** & Magnum, qui, praeter tria praedia, T. Roscio Capioni tradita, in reliquis omnes Sex. Roscij fortunas Chryfogoni nomine inuaserat. **DECVRIONVM decretum** & senatus Amerini. **DECEM primi** & legationis nomine creati, in quibus Capito fuit, qui collegis aditum ad Sullam praefulit, suam potius causam agens, quam publicam, infra. **IN CASTRA** & Volaterras. **VT MORI mallet, quam de ijs rebus Sulla doceri.** & Sullam excusat. **HOMINES antiqui,** & minime callidi, probi simpliciq. ingenio, quales erant ueteres illi. **NEPOTIS filiam,** & duo Metelli Nepotes fuere, pater & filius. pater cum T. Didio consul fuit, filius cum Lentulo Spinthere, qui Cicetorem ab exilio restituit, filius hoc tempore adulescens admodum fuerit, necesse est: itaque filia eius nullo pacto esse potuit. num igitur eius, qui cum Didio consul fuit? dicam, quod sentio.

sentio. Balearici Metelli, qui Nepotis pater fuit, hanc esse filiam arbitror, Nepotis autem forem. in quam sententiam ipsa me ducunt uerba Ciceronis, quae sunt infra: Quasi uero, inquit, nescias hunc & alii, & uestri a Caecilia, Balearici filia, Nepotis sorore, spectatissima femina. Verba uero, quae sequuntur, factis indicant, eam fuisse Balearici filiam, Macedonici nepotem, Nepotis forem. nam, cum subiungit, Patrem clarissimum, de Balearico loquitur, consulari, ac triumphali uiro: cum, Amplissimos patruos, de tribus Baleari fratribus, Lucio, Marco, Caio, qui omnes, gesto consulatu, triumphauerunt, Lucius de Dalmatis, unde Dalmatici cognomen est adeptus, Marcus de Sardis, Caius ex Thracia: quae si uera esse constat: dubitare iam non licet, quin, quod subiicitur, Ornatissimum si a rem, de Nepote, Balearici filio, dicatur. Locus igitur hic omnino correctionem desiderat: & corrigendi uiam, ac rationem alter inferior locus non difficilem ostendit. QVAM occisus in proscriptos; ut pater eius; quem non proscriptum tamen occiderunt; occisum, ut eius bona iure possidere uideantur, proscriptum fuisse dicunt. TEMPORE ipso; occasione temporis, quod hic longo interuallo primus de parricidio causam dicat. QVOD iudicia tam diu facta non essent,; propter bella civilia. QVI primus; non primus ex quocumque crimine, sed primus de parricidio, nam, cum biennio ante Sulla uictor & urbe, & uniuersa rep. positus esset; quis credat nulla tot mensibus iudicia fuisse: adiuant hanc opinionem, quae supra dicta sunt: Longo interuallo iudicium inter sicarios hoc primum committitur. DE ISTA societate; inter Chryfogonum, Capitonem, & Magnum: qui Sex. Roscii fortunas inter se diuiserant.

O R A T I O

QUID primum querar? aut unde potissimum exordiar, iudices? aut quod, aut a quibus auxilium petam? deorum ne immortalium, populi ne Romani, uestram ne, qui summam potestatem habetis, hoc tempore fidem implorem? pater occisus nefarie, domus obsessa, ab inimicis bona adempta, possessa, direpta; filij uita infesta, saepe ferro atque insidijs appetita. quid ab his tot maleficijs sceleris abesse uidetur? tamen haec alijs nefarijs cumulant, atque adaugent: crimen incredibile confingunt: testes in hunc, & accusatores huiusce pecunia comparant: hanc condicionem misere ferunt, ut optet utrum malit, ceruices Roscio dare, an insutus in culeum, per summum dedecus uitam amittere. patronos huic defuturos putauerunt: desunt: qui libere dicat, qui cum fide defendat, id quod in hac causa est satis, quoniam quidem suscepi, non deest profecto, iudices. & forsitan in suscipienda causa temere impulsus adolescentia fecerim: quoniam quidem semel suscepi, licet hercules undique omnes terrores, minae, periculaq. impendeant omnia, succurram, atque subibo. certum est, deliberatumq. quae ad causam pertinere arbitror, omnia non modo dicere, uerum etiam libenter, audacter, libereq. dicere. nulla res tanta existat, iudices, ut possit uim mihi maiorem adhibere metus, quam fides. etenim quis tam dissoluto animo est, qui, haec cum uideat, tacere, ac negligere possit? patrem meum, cum proscriptum non esset, iugulastis: occisum in proscriptorum numerum retulistis: me domo mea per uim expulistis: patrimonium meum possidetis: quid uultis amplius? etiam ne ad subsellia cum ferro atque telis

uenistis, ut hic aut iuguletis, aut condemnetis Sex. Roscium? Hominem longe audacissimum nuper habuimus in ciuitate C. Fimbriam, & quod inter omnes constat, nisi inter eos, qui ipsi quoque insaniunt, insanissimum. is cum curasset in funere C. Marij, ut Q. Scaeuola uulneretur, uir sanctissimus, atque ornatissimus nostrae ciuitatis, de cuius laude neque hic locus est ut multa dicantur, neque plura tamen dici possunt, quam populus R. memoria retinet; diem Scaeuolae dixit, postea quam comperit eum posse uiuere. cum ab eo quaereretur, quid tandem accusaturus esset eum, quem pro dignitate ne laudare quidem quisquam satis commode posset, aiunt hominem, ut erat furiosus, respondisse, quod non totum telum corpore recepisset. quo populus R. nihil uidit indignius, nisi eiusdem uiri mortem: quae tantum potuit, ut omnes ciues suos perdiderit, & affligerit: quos quia seruare per compositionem uolebat, ipse ab iis interemptus est. Est ne hoc illi dicto, atque facto Fimbriae non simillimum? accusatis Sex. Roscium: quid ita? quia de manibus uestris effugit, quia se occidi passus non est. illud, quia in Scaeuola factum est, magis indignum uidetur: hoc, quia fit a Chryfogono, num est ferendum? nam, per deos immortales, quid est in hac causa, quod defensionis indigeat? qui locus ingenium patroni requirit, aut oratoris eloquentiam magnopere desiderat? totam causam, iudices, explicemus, atque ante oculos expositam consideremus. ita facillime, quae res rotum iudicium contineat, & quibus de rebus nos dicere oporteat, & quid uos sequi conueniat, intelligetis.

E X P L A N A T I O

INFESTA,; passiuè dictum. ut pro Coelio: Tempus aetatis aliorum libidine infestum. Et de Prou. Via excursionibus barbarorum infesta. CERVICES; saepe appetitas. hoc enim ad illud refertur: Filij uita infesta, saepe ferro, atque insidijs appetita. ROSCIO; T. Roscio Magno, qui aderat. SUPPLICIUM parridarum; recte uidentur sentire, qui glossema putant. PATRONOS; eloquentia nobiles. DESUNT; quia metu tacent, cum tamen aduocati adsint. Modeste se ipsum patronorum numero non adiungit. VIM mihi maiorem adhibere metus,; eam uim, qua deteritus ab officio demerito non adiungit. QVAM fides,; fidei uis apud me maior erit, quam earum rerum, quae metum afferre uideantur.

dcantur. PATREM meum, cum proscriptus non esset, iugulastis: & praecleara rei querentis inductio, ut infra. Praedia mea tu possides: ego aliena misericordia uiuo. concedo, & quod animus aequus est, & quia necesse est. Mea domus tibi patet, mihi clausa est: fero. Familia mea maxima uteris, ego seruum habeo nullum: patior, & ferendum puto. Quid uis amplius? quid insequeris? quid oppugnas? C. FIMBRIAM, & eius filium, qui cum C. Mario consul fuerat. INSANISSIMUM & in Bruto: Qui omnia magna uoce dicens, uerborum saepe bonorum cursu quodam incitato, ita furebat tamen, ut mirarer tam alias res agere populum, ut esset insano inter disertos locus. IN FVNERE C. Marij & qui septimi consulatus mente primo decessit. Q. SCAEUOLA & pontifex max. qui consul fuerat cum L. Craeto. DIEM Scaeuolae dixit, & diem dicere, idest ad populum accusare, priuati hominis non erat, sed proprie tribunorum pl. quo tum in magistratu Fimbriam fuisse crediderim. in Diuin. Nuper Cn. Domitium scimus M. Silano diem dixisse. In Bruto: M. Virgilius tribunus pl. L. Sullae imperatori diem dixit. POSSE uiuere. & usitatus loquendi modus. in ep. Sulpicij: Duo uulnera accepisse, unum in stomacho, alterum in capite secundum aurem: sperare tamen eum posse uiuere. QVOD & Fimbriae factio. EIVSDEM uiri mortem: & non perijt Scaeuola ex eo uulnere, sed triennio post, Damalippi praetoris urbani iussu, ex uoluntate C. Marij iunioris consulis. Velleius, Appianus, Cicero. VT OMNES ciues suos perdiderit, atque afflixerit: & pacis auctore interfecto. Hoc & quod ab aduersarijs Sex. Roscij committitur. NON simillimum? & pro, Non ne est hoc illi dicto, atque factio Fimbriae simillimum? A CHRYSOGONO, & liberto, qui tantum audet.

ORATIO

TRES sunt res, quantum ego existimare possum, quae obstant hoc tempore Sex. Roscio, crimen aduersariorum, & audacia, & potentia. criminis confessionem accusator Erutius suscepit: audaciae partes Roscij sibi poposcerunt: Chrysogonus autem, is, qui plurimum potest, potentia pugnat. de hisce omnibus rebus me dicere oportere intelligo. quid igitur est? non eodem modo de omnibus: ideo quod prima illa res ad meum officium pertinet, duas autem reliquas uobis populus R. imposuit. ego crimen, oportet, diluam: uos & audaciae resistere, & hominum eiusmodi perniciosam atque intolerandam potentiam primo quoque tempore extinguere, atque opprimere debetis. Occidisse patrem Sex. Roscius arguitur. scelestum, diu in mortales, ac nefarium facinus, atque eiusmodi, quo uno maleficio scelera omnia complexa esse uideantur. etenim si, id quod praecleara a sapientibus dicitur, uultu saepe laeditur pietas; quod supplicium satis acre reperietur in eum, qui mortem obtulerit parenti? pro quo mori ipsum, si res postularet, iura diuina atque humana cogebant; in hoc tanto, tam atroci, tam singulari maleficio, quod ita raro existit, ut, si quando auditum sit, portenti ac prodigij simile numeretur, quibus tandem te, C. Eruti, argumentis accusatorem censes uti oportere? non ne & audaciam eius, qui in crimen nocetur, singularem ostendere, & mores feroces, immanemque naturam, & uitam uitij, flagitijque omnibus deditam, & denique omnia ad perniciem profligata, atque perdita? quorum tu nihil in Sex. Roscium, ne obijciendi quidem causa, contulisti. Patrem occidit Sex. Roscius: qui homo? adolescentulus corruptus, & ab hominibus nequam inductus? annos natus magis quadraginta. Vetus uidelicet sicarius, homo audax, & saepe in caede uersatus? at hoc ab accusatore ne dici quidem audistis. Luxuries igitur hominem nimirum, & aeris alieni magnitudo, & indomitae animi cupiditates ad hoc scelus impulerunt. de luxuria purgauit Erutius, cum dixit hunc ne in conuiuium quidem ullo fere interfuisse. nihil autem inquam cebluit. cupiditates porro quae possunt esse in eo, qui, ut ipse accusator obiecit, ruri semper

habitarit, & in agro colendo uixerit? quae uita maxime disincta a cupiditate, & cum officio coniuncta. quae res igitur tantum istum furorem Sex. Roscio obiecit? Patri, inquit, non placebat. patri non placebat? quam ob causam? necesse est enim eam quoque iustam, & magnam, & perspicuam fuisse. nam, ut illud incredibile est, mortem oblatam esse patri a filio sine plurimis & maximis causis: sic hoc uerisimile non est, odio fuisse parenti filium sine causis multis, & magnis, & necessariis. rursus igitur eodem reuertantur, & quaeramus, quae tanta uita fuerint in unico filio, quare is patri displiceret. at perspicuum est, nullum fuisse, pater igitur amens, qui odisset eum sine causa, quem procrearat. at is quidem fuit omnium constantissimus. ergo illud iam perspicuum profecto est, si neque amens pater, neque perditus filius fuerit, neque odij causam patri, neque sceleris filio fuisse. Nescio, inquit, quae causa odij fuerit: fuisse odium intelligo, quia antea, cum duos filios haberet, illum alterum, qui mortuus est, secum omni tempore uolebat esse, hunc in praedia rustica relegarat. Quod Erutio accidebat in mala nugatoriaque. accusatione, idem mihi usu uenit in causa optima. ille, quo modo crimen commencitum confirmaret, non inueniebat: ego, res tam leues qua ratione infirmem, ac diluam, reperire non possum. quid ais, Eruti? tot praedia, tam pulchra, tam fructuosa, Sex. Roscius filio suo relegationis, ac supplicij gratia colenda, ac tuenda tradiderat? quid hoc? patres familias, qui liberos habent, praesertim homines illius ordinis, ex municipijs rusticanis, non ne optatissimum sibi putant esse, filios suos rei familiari maxime seruire, & in praedijs colendis operae plurimum, studijque consumere? At amandarat hunc sic, ut esset in agro, ac tantummodo aleretur ad uillam, ut commodis omnibus careret. Quid, si constat, hunc non modo colendis praedijs praefuisse, sed certis fundis, patre uiuo, frui solitum esse? tamen ne haec attentata uita, & rusticana, relegatio, atque amandatio appellabitur? uides, Eruti, quantum distet argumentatio tua ab re ipsa, atque a ueritate. quod consuetudine patres faciunt, id quasi nouum reprehendis: quod beneuolentia fit, id odio

factum

factum criminariis: quod honoris causa pater filio suo contempsit, id eum supplicij causa fecisse dicis. neque haec tu non intelligis, sed usque eo, quid arguas, non habes, ut non modo tibi contra nos dicendum putes, uerum etiam contra rerum naturam, contraq. consuetudinem hominum, contraq. opiniones omnium. At enim, cum duos filios haberet, alterum a se non dimittebat, alterum ruri esse patiebatur. Quaeso, Eruti, ut hoc in bonam partem accipias: non enim exprobandi causa, sed commonendi gratia dicam. Si tibi fortuna non dedit, ut patre certo nascere ere, ex quo intelligere posses, qui animus patrius in liberis esset: at natura certe dedit, ut humanitatis non parum haberes, eo accessit studium doctrinae, ut ne a litteris quidem alienus esses. et quid tandem tibi uideatur (ut ad fabulas ueniamus) senex ille Caecilianus minoris facere Eutychum filium rusticum, quam illum alterum Cherestratum? (nam, ut opinor, hoc nomine est) alterum in urbe secum honoris causa habere, alterum rura supplicij causa relegasse? Quid ad istas ineptias abis, inquires? Quasi uero mihi difficile sit quamuis multos nominatim proferre (ne longius abeam) uel tribules, uel uicinos meos, qui suos liberos, quos plurimi faciunt, agricolas assiduos esse cupiunt, uerum homines notos sumere odiosum est: cum et illud incertum sit, uelint ne hi sese nominari; et nemo uobis magis notus futurus sit, quam est hic Eutychus; et certe ad rem nihil interfit, utrum hunc ego comicum adolescentem, an aliquem ex agro Ueiente nominem, etenim haec confecta arbitror a poetis esse, ut effectus nostros mores in alienis personis, expressam, imaginem nostram uitae quotidianae uideremus. age nunc, refer animum, sis, ad ueritatem; et considera, non modo in Umbria, atque in ea uicinitate, sed in his ueteribus municipiis quae studia a patribus familiaribus maxime laudentur: iam profecto te intelliges inopia criminum summam laudem Sex. Roscio uitio et culpae dedisse. at non modo hoc patrum uoluntate liberi faciunt; sed permultos et ego noui, et, nisi me fallit animus, unusquisque uestrum, qui et ipsi incensi

sunt studio, quod ad agrum colendum attinet, uita neque hanc rusticam, quam tu probro et crimini putas esse oportere, et honestissimam, et suauissimam esse arbitrantur. quid censes hunc ipsum Sex. Roscium, quo studio, et qua intelligentia esse in rusticis rebus: ut ex his propinquis eius, hominibus honestissimis, audio, non tu in isto artificio accusatorio callidior es, quam hic in suo. uerum, ut opinor, quoniam ita Chryfogono uidetur, qui huic nullum praedium reliquit, et artificium obliuiscatur, et studium deponat, licebit, quod tamen miserum, et indignum est, feret tamen aequo animo, iudices, si per uos uitam, et famam potest obtinere. hoc uero est, quod ferri non potest, si et in hanc calamitatem uenit propter praediorum bonitatem, et multitudinem; et, quod ea studiose coluit, id erit ei maxime fraudi: ut parum miseriae sit, quod alijs coluit, non sibi; nisi etiam, quod omnino coluit, crimini fuerit. Nae tu, Eruti accusator esses ridiculus, si illis temporibus natus esses, cum ab aratro accersebantur, qui consules fierent. etenim, qui praesse agro colendo flagitium putes, profecto illum Atilium, quem sua manu spargentem semen, qui missi erant, conuenerunt, hominem turpissimum, atque inhonestissimum iudicares. at hercule maiores nostri longe aliter et de illo, et de ceteris talibus uiris existimabant: itaque ex minima, tenuissimaque rep. maximam et florentissimam nobis reliquerunt. suos enim agros studiose colebant, non alienos cupide appetebant: quibus rebus et agris, et urbibus, et nationibus, remp. atque hoc imperium, et populi Romani nomen auxerunt. Neque ego haec eo profero, quo conferenda sint cum hisce, de quibus nunc quaerimus; sed ut illud intelligatur, cum apud maiores nostros summi uiri, clarissimiq. homines, qui omni tempore ad gubernacula reip. sedere debebant, tamen in agris quoque colendis aliquantum operae, temporisq. consumpserint; ignosci oportere ei homini, qui se fateatur esse rusticum, cum ruri assiduus semper uixerit; cum praesertim nihil esset, quod aut patri gratius, aut sibi iucundius, aut re uera honestius facere posset.

EXPLANATIO

ROSCIJ § Capito, & Magnus. SCELESTVM, ac nefarium facinus, atque huiusmodi, § cum nullo latis uerbo id, quod uolumus, exprimi uideatur posse, ita concludimus, Atque eiusmodi. Sic locutus & ad Crassum: Non enim fuit aut mediocre, aut obscurum, aut eiusmodi, quod silentio posset praeteriri. NE OBICIENDI quidem causa, § nedum ut ijs argumentis patricidium probare conareris. EAM quoque § ut filio, cur patri mortem obtulerit; sic patri, cur filium non amaret, causam fuisse iustam, magnam, perspicuam, necesse est. CONSTANTISSIMVS, § qui lenioribus causis ut eum, quem genuerat, non amaret, adduci non posset. ACCIDEBAT § cum Roscium accusaret. ILLIUS ordinis § honestissimi, qualis fuit Sex. Roscius. ATTENTA § augendae rei domesticae deducta. SENEX § ille Caecilianus § quem Caecilius poeta comicus induxit. QUID censes hunc ipsum Sex. Roscium, § in hoc ambitu uerborum cur de mendo homines pereruditi suspicati sint, mihi quidem causa non uideatur. nam, quod sequitur, Quo studio, qua intelligentia esse in rebus rusticis? similiter locutum esse uideo Ciceronem alijs in locis, ut lib. I. de Orat. Quid censes, si ad alicuius ingenium uel par, uel maius illa, quae ego non attigi, accesserint, qualem illum, & quantum oratorem futurum? Et in Rul. lib. II. Quid censetis, cum isti decem uiri cum imperio, cum fasces, cum illa delecta finitorum iuuentute per orbem terrarum uagabuntur, quo tandem animo, quo motu, quo periculo miseras nationes futuras? Et lib. II. Off. Quid enim censetis superiorem illum Dionysium, quo cruciatu timoris angustolium? quid Alexandrum, quo animo uixisse arbitramur? CALIDIOR § peritior. supra ueterem accusatorem uocauit. ARTIFICIUM § quo excellit in agro colendo. QUONIAM ita Chryfogono uidetur, § amare in Chryfogoni potentiam. ATILIVM § qui primus a serendo Serranus dictus est, triumphauit de Poenis. QUI missi erant, § ut consules esse factum nunciarent. Valerius Max. lib. I V. c. 4. Plinius

Plinius lib. XII. cap. 3. Non alienos cupide appetebant. & ut Chryfogonus, & Roscij. Ad gubernacula reip. sedere & saepe utitur Cicero hac translatione, ut ad Paetum: Catulum mihi narra, & illa tempora. quid simile? ne mihi quidem ipsi tunc placebat abesse diutius ab reip. custodia. sedebamus enim in puppi, clauumq. tenebamus: nunc uix est in sentina locus. pro Sextio: Clauum tanti imperii tenere, & gubernacula reip. tractare.

O R A T I O

ODIUM igitur acerrimum patris in filium ex hoc opinor ostenditur, Eruti, quod hunc ruri esse patiebatur. numquid est aliud? immo uero, inquit, est: nam istum exheredare in animo habebat. audio. nunc dicis aliquid, quod ad rem pertineat: nam illa opinor tu quoque concedis leuia esse, atque inepta. Coniunia cum patre non inibat. quippe, qui ne in opidum quidem, nisi per aru, ueniret. Domum suam istum non fere quisquam uocabat. nec mirum, quem neque in urbe uideret, neque rure uocaturus esset. uerum haec tu quoque intelligis esse nugatoria. illud, quod coepimus, uideamus; quo certius argumentum ody reperiri nullo modo potest. Exheredare pater filium cogitabat. mitto quaerere, qua de causa: quaero, qui scias? tametsi te dicere, atque enumerare causas omnes oportebat: & id erat certi accusatoris officium; qui tanti sceleris argueret, explicare omnia uicia, atque peccata filij, quibus incensus parens potuerit animum inducere, ut naturam ipsam uinceret, ut amorem illum penitus inflatum eijceret ex animo, ut denique patrem se esse obliuisceretur: quae sine magnis huiusce peccatis accidere potuisse non arbitror. uerum concedo tibi, ut ea praeter eas, quae cum taces, nulla esse concedis. illum quidem uoluisse exheredare, certe tu planum facere debes. quid ergo affers, quare id factum putemus? uere nihil potes dicere. fuge aliquid saltem commode, ut ne plane uidearis id facere, quod aperte facis, huius miseri fortunae, et

horum uirorum talium dignitati illudere. Exheredare filium uoluit: quam ob causam? nescio. exheredauit ne non: quis prohibuit? cogitabat? cogitabat? cui dixit nemini. quid est aliud, iudicio, ac legibus, ac maiestate uestra abuti ad quaestum, atque ad libidinem, nisi hoc modo accusare, atque id obicere, quod planum facere non modo non possis, uerum ne coneris quidem? nemo nostrum est, Eruti, quin sciat tibi inimicitias cum Sex. Roscio nullas esse: uident omnes, qua de causa huic inimicus uenias: sciunt huiusce pecunia te adductum esse. quid ergo est? ita tamen quaestus te cupidum esse oportebat, ut horum existimationem, & legem Memmiam putares aliquid ualere oportere. accusatores multos esse in ciuitate uile est, ut metu contineatur audacia. uerum tamen hoc ita est uile, ut ne plane illudamur ab accusatoribus. innocens est quisquam: uerum tamen, quamquam abest a culpa, suspicione tamen non caret. tametsi miserum est, tamen ei, qui hunc accuset, possim aliquo modo ignoscere: cum enim aliquid habeat, quod possit criminose, ac suspiciose dicere, aperte ludificari, & calumniari sciens non uideatur. quare facile omnes patimur esse quamplurimos accusatores: quod innocens, si accusatus sit, absolui potest; nocens, nisi accusatus fuerit, condemnari non potest. uilissimum est autem absolui innocentem, quam nocentem causam non dicere.

E X P L A N A T I O

HUIUSCE & filij, qui nunc reus est. **H**ORVM & iudicium. **Q**UID est aliud, iudicio, ac legibus, ac maiestate uestra abuti, & modus reprehendendi, Cicero familiari, cum quadam iracundia. exempla de multis afferam pauca. in Pisonem: Quid est aliud furere, non cognoscere homines, non cognoscere leges, non senatum, non ciuitatem? Phil. I. Quid est aliud hortari adolescentes, ut turbulenti, ut seditionis ciues sint? Phil. II. Quid est aliud tollere e uita uitae societatem? Et Phil. V. bis. Phil. X. XII. **LEGEM MEMMIAM** & lex Remmia de calumniatoribus nominatur l. j. §. i. D. ad Turpilian. l. 13. D. de test. Itaque libentius hic Remmiam, quam Memmiam, legerem. nam Memmia contra calumniatores non fuit, sed eorum, qui reip. causa abessent, si quis eos accusaret, recipi nomina uetabat. **MISERVM** est, & innocentem accusari. **SUSPICIOSE** & ad commouendam in animis iudicium suspicionem.

O R A T I O

ANSERIBVS cibaria publice locantur, & canes aluntur in Capitolio, ut significant, si fures uenerint. at fures inuoloscere non possunt, significant tamen, si qui noctu in Capitolium uenerint: & quia id est suspiciosum, tametsi bestiae sunt, tamen in eam partem potius peccant, quae est cautior. quod, si luce quoque canes latent; cum deos salutatum aliqui uenerint: opinor, ijs crura suffringantur; quod acres sint etiam tum, cum suspicio nulla sit. Simillima est accusatorum ratio. alij uestrum anseres sunt,

qui tantummodo clamant, nocere non possunt; alij canes, qui & latrare, & mordere possunt. cibaria uobis praebere uidemus: uos autem maxime debetis in eos impetum facere, qui merentur. hoc populo gratissimum est. deinde, si uoletis, etiam tum, cum uerisimile erit aliquem commisisse, in suspicione latratore id quoque concedi potest. sin autem sic agetis, ut arguatis aliquem patrem occidisse, neque dicere possitis aut quare, aut quo modo, ac tantummodo sine suspicione latrabitis: crura quidem uobis nemo suffringet; sed, si

sed, si ego hos bene noui, litteram illam, cui uos usque eo inimici estis, ut etiam alias omnes oderitis, ita uehementer ad caput affigent, ut postea neminem alium, nisi fortunas uestras, accusare possitis. Quid mihi ad defendendum dedisti, bone accusator? quid hisce autem ad suspicandum? Ne exheredaretur, ueritus est. audio: sed, qua de causa uereri debuerit, nemo dicit. Habebat pater in animo: planum fac. nihil est; non, qui cum deliberarit, quem certiore fecerit, unde istud uobis suspicari in mentem uenerit. Cum hoc modo accusas, Eruti, non ne hoc palam dicis? ego, quid acciperim, scio: quid dicam, nescio. unum illud spectauit, quod Chrysogonus aiebat, neminem isti patronum futurum; de bonorum emptione, deq. ea societate neminem esse, qui uerbum facere hoc tempore auderet. haec te opinio falsa in istam fraudem impulit. non mercede uerbum fecisses, si tibi quemquam responsurum putasses. Operaepretium erat, si animaduertistis, iudices, negligentiam eius in accusando considerare. credo, cum uidisset, qui homines in hisce subfellij sederent, quaesisse, num ille, aut ille defensurus esset; de me ne suspicatum quidem, quod antea causam publicam nullam dixerim. postea quam inuenit, neminem eorum, qui possunt, & solent: ita negligens esse coe-

pit, ut, cum in mentem ueniret ei, resideret, deinde spatigaretur, nonnumquam etiam puerum uocaret, credo cui cenam imperaret; prorsus ut uestro confesso, & hoc conuentu pro summa solitudine abuteretur. perorauit aliquando, assedit. surrexi ego. respirare uisus est, quod non alius potius diceret. coepi dicere. usque ea animaduerti, iudices, eum iocari, atque alias res agere, ante quam Chrysogonum nominaui. quem simul atque attigi, statim homo se erexit, mirari uisus est. intellexi, quid eum pupugisset. iterum, ac tertio nominaui. postea homines cursare ultro & citro non destiterunt, credo, qui Chrysogono nunciarent, esse aliquem in ciuitate, qui contra uoluntatem eius dicere auderet; aliter causam agi, atque ille existimaret; aperiri bonorum emptionem, uexari pessime societatem, gratiam potentiamq. eius negligi, iudices diligenter attendere, populo rem indignam uideri. Quae quonia te fesellerunt, Eruti; quoniamq. uides uersa esse omnia, causam pro Sex. Roscio si non commode, at libere dici; quem dedi putabas, defendi intelligis; quos tradituros sperabas, uides iudicare: restitue nobis aliquando ueterem tuam illam calliditatem, atque prudentiam: confitere huc ea spe uenisse, quod putares hic latrocinium, non iudicium, futurum.

EXPLANATIO

ANSERIBVS cibaria publica locantur; quorum clangore noctu adscendentes in Capitolium Galli proditi sunt. nota historia ex Liuiio, Plinio, Plutarcho. CANES aluntur in Capitolio; hoc nulla traditur historia: contra potius, dormisse eos, legimus, cum, Gallis adscendentibus, anserum clangore nigiles excitati. CIBARIA uobis praebere uideamus: mercedem accusandi. Sic agetis; ut nunc agi, Eruti, qui Roscium de parricidio innocentem accusas. CRURA quidem uobis nemo suffringet: ut suffringentur canibus, si luce latrarent, cum deos aliqui salutatum uenissent. Hos; iudices. LITTERAM illam, & condemnationis notam, C. tribus enim inscriptae litteris erant iudicium tabellae; A, cum absoluerent; C, cum damnarent; N. L. in causa dubia, cum non liqueret. Alij aliter hunc locum interpretantur: quorum sententiae non accedo: cum satis constet, si quis accusaretur de calumnia, in eius iudicio tres illas, quas nominaui, litteras necessarias fuisse. poterat enim item ut alij rei, uel absolui, uel damnari, uel, incerta sententia, ad aliam diem, aliamq. actionem differri. EAS omnes; unius litterae causa litteras omnes oderant. Reprehendit ignorantiam. Ad caput affigent, poena uos afficient grauissima. FORTUNAS uestras, pecuniam, qua adducti estis ad calumniam. supra: Sciunt huiusce te pecunia adductum esse. Quid acceperim, quantum pecuniae. In istam fraudem; in hunc errorem. in Pisonem: Vultus denique totus, qui sermo quidam tacitus mentis est, hic in fraudem homines impulit. OPERAEPRETIUM erat, hoc non ualet, utile erat, sed, alienum non erat, ab re non erat: ut exemplis perspicuum sit. QUI homines; summi oratores, hominesq. nobilissimi: de quibus in exordio. QUI possunt, & solent, qui usu, & eloquentia ualent, quod utrumque mihi deest. SI NON commode, si non ut oporteret, & ut diceretur ab his, qui in hisce subfellij aduocati sedent. DEDI; libidini, crudelitatiq. uestrae. ut paullo ante: Non recusamus, quin Sex. Roscij uita dedatur. TRADITVROS; non orationem attente meam audituros, sed, causa neglecta, reum libidini, crudelitatiq. uestrae tradituros. IUDICARE; non, alias res agere, sed, mihi causam dicenti, aures benigne praebere, & iudicium officio fungi. RESTITVE nobis aliquando; patefac nobis, & ostende, quamdiu occultasti, ueterem illam tuam calliditatem. ATQVE prudentiam; quae tibi prudentia uidetur, cum hoc digna nomine non sit. LATROCINIUM, iudicibus reum prodentibus: quos tu nunc, contra quam putasti, uides iudicare.

ORATIO

DE parricidio causa dicitur: ratio ab accusatore reddita non est, quam ob causam patrem filius occiderit. quod in minimis noxis, & in his leuioribus peccatis, quae magis crebra, & iam prope quotidiana sunt, maxime, & primum quaeritur, quae causa

maleficij fuerit; id Erutius in parricidio quaeri non putat oportere. in quo scelere, iudices, etiam cum multae causae conuenisse unum in locum, atque inter se congruere uidentur, tamen non temere creditur; neq. leni coniectura res penditur; neque testis insertus auditur;

G

ditur; neque accusatoris ingenio res iudicatur: cum multa antea commissa maleficia, tum uita hominis perditissima, tum singularis audacia ostendatur, necesse est, neque audacia solum, sed summus furor, atque amentia. haec cum sint omnia, tamen exstent oportet expressa sceleris uestigia, ubi, qua ratione, per quos, quo tempore maleficium sit admissum. quae nisi multa, & manifesta sunt; profecto res tam scelestas, tam atroas, tam nefarias credi non potest. magna est enim uis humanitatis: multum ualet communitio sanguinis: reclamitat istiusmodi suspicionibus ipsa natura: portentum, atque monstrum certissimum est, esse aliquem humana specie, & figura, qui tantum immanitate bestias uicerit, ut, propter quos hanc suauissimam lucem adspexerit, eos indignissime luce priuarit; cum etiam feras inter sese parius, atque educatio, & natura ipsa conciliet. non ita multis ante annis aiunt T. Cloelium quendam Tarracinentem, hominem non obscurum, cum cenatus cubitum in idem conclave cum duobus adolescentibus filiis isset, inuentum esse mane iugulatum, cum neque seruus quisquam reperiretur, neque liber, ad quem ea suspicio pertineret; id aetatis autem duo filij propter cubantes nescensisse quidem se dicerent: nomina filiorum de paricidio delata sunt. quid postea erat sane suspiciosum. neutrum sensisse? autem esse quemquam se in id conclave committere, eo potissimum tempore, cum ibidem essent duo adolescentes filij, qui & sentire, & defendere facile possent? erat porro nemo, in quem ea suspicio conueniret. tamen, cum planum iudicibus esset factum, aperto ostio dormientes eos repertos esse, iudicio absoluti adolescentes, & suspitione omni liberati sunt. nemo enim putabat quemquam esse, qui, cum omnia diuina atque humana iura scelere nefario polluisset, somnum statim capere potuisset: propterea quod, qui tantum facinus commiserunt, non modo sine cura quiescere sed ne spirare, quidem sine metu possunt. Videtis ne, quos nobis poetae tradiderunt patris ulciscendi causam

sa supplicium de matre sumpsisse, cum praesertim deorum immortalium iussis, atque oraculis id fecisse dicantur; tamen ut eos agitent furiae, neque consistere usquam patiantur? quod ne pij quidem sine scelere esse poterunt. sic se res habet, indices: magnam uim, magnam necessitatem, magnam possidet religionem paternus, maternusque sanguis. ex quo, si qua macula concepta est, non modo elui non potest, uerum usque eo permanat ad animum, ut summus furor, atque amentia consequatur. nolite enim putare, quemadmodum in fabulis saepe numero uidetis, eos, qui aliquid impie scelerate, commiserint, agitari, & perterriti furiarum taedis ardentibus. sua quemque fraus, & suus terror maxime uexat: suum quemque scelus agitat, amentiaque afficit: suae malae cogitationes, conscientiaque animi terrent. hae sunt impijs assiduas domesticaeque furiae, quae dies noctesque parentum poenas a consceleratissimis filijs repetant. haec magnitudo maleficij facit, ut, nisi paene manifestum parricidium proferatur, credibile non sit, nisi turpis adolescentia, nisi omnibus flagitijs uita inquinata, nisi sumptus effusi cum probro atque dedecore, nisi prorupta audacia, nisi tanta temeritas, ut non procul abhorreat ab insania. accedat hoc oportet odium parentis, animaduersionis paternae metus, amici improbi, serui conscij, tempus idoneum, locus oportune captus ad eam rem: paene dicam, resperfas manus sanguine paterno iudices uideant, oportet, si tantum facinus, tam immane, tam acerbum credituri sunt. quare hoc, quo minus est credibile, nisi ostenditur; eo magis est, si conuincitur, uindicandum. itaque cum multis ex rebus intelligi potest, maiores nostros non modo armis plus, quam ceteras nationes, uerum etiam consilio sapientiaque potuisse, tum ex hac re uel maxime, quod in impios singulare supplicium inuenerunt. qua in re quantum prudentia praesulerint ijs, qui apud ceteros sapientissimi fuisse dicuntur, considerat.

EXPLANATIO

CONCLAVE? locus fuit in aedibus, ubi cenabatur, sine camino. SUPPLICIUM de matre sumpsisse? Orestem designat, qui Clitemnestram matrem, quae de Agamemnonis, uiri sui, nece, cum Aegyltho adultero consenserat, occidit. Significare & Alcmaeonem putarem, qui Amphiarai patris interitum, interfecta matre Eryphile, ultus est: sed ea uerba, Cum deorum immortalium iussis atque oraculis id fecisse dicantur, ad Orestem potius, quam ad Alcmaeonem, pertinent. Euripides in Oreste. NE? quidem? qui pietatis causa, patrem ulciscentes, id commiserunt. SUMMVS furor, atque amentia? nam eos in insaniam incidisse poetae fingunt. unde illud supra: Videtis ne, ut eos agitent furiae, neque consistere usquam patiantur?

ORATIO

PRUDENTISSIMA ciuitas Atheniensium, dum ea rerum potita est, fuisse traditur. eius porro ciuitatis sapientissimum Solonem dicunt fuisse, eum, qui leges, quibus hodie quoque utuntur, scripserit. is cum interrogaretur, cur nullum supplicium constituisset in eum, qui parentem necasset; respondit, se id neminem facturum putasse. sapienter fecisse dicitur, cum de eo nihil sanxerit, quod antea commissum non erat; ne non tam prohibere, quam admonere uideretur. Quanto maiores nostri sapientius; qui, cum intelligerent, nihil es-

se tam sanctum, quod non aliquando uiolaret audacia, supplicium in parricidas singulare excogitauerunt: ut, quos natura ipsa retinere in officio non potuisset, in magnitudine poenae maleficij summoerentur. insin uoluerunt in culcum uiuos, atque ita in flumen deici. o singularem sapientiam, indices. non ne uidentur hunc hominem ex rerum natura sustulisse, & eripuisse, cui repente caelum, solem, aquam, terramque ademerunt? ut, qui eum necasset, unde ipse natus esset, careret uis rebus omnibus, ex quibus omnia nata esse dicuntur. noluerunt

noluerunt feris corpus obicere, ne bestis quoque, quae tantum scelus attigissent, immanioribus uteremur: non sic nudos in flumen deicere, ne, cum delati essent in mare, ipsum polluerent, quo cetera, quae uiolata sunt, expiari putantur. denique nihil tam uile, neque tam uulgare est, cuius partem ullam reliquerint. etenim, quid tam est commune, quam spiritus uiuis: terra mortuis: mare fluctuantibus? litus eiectis? ita uiuent, dum possunt, ut ducere animam de caelo non queant: ita moriuntur, ut eorum ossa terra non tangant: ita iactantur fluctibus, ut nunquam alluantur: ita postremo eiciuntur, ut ne ad saxa quidem mortui conquiescant. Tanti maleficij crimen, cui maleficio tam insigne supplicium est constitutum, probare te, Erui, censet posse talibus uiris, si ne causam quidem maleficij protuleris? si hunc apud honorum emptores ipsos accusares, eiq. iudicio Chrysogonus praeesset; tamen diligentius, paratiusq. uenisses. utrum, quid agatur, non uides; an, apud quos agatur? agitur de parricidio: quod sine multis causis suscipi non potest. apud homines autem prudentissimos agitur: qui intelligunt neminem ne minimū quidem maleficio sine causa admittere. Esto: causam proferre non potes. tamesi statim uicisse debeo, tamen de meo iure decedam, & tibi, quod in alia causa non concederem; in hac concedam, fretus huius innocentia. non quaero abs te, quare patrē Sex. Roscius occiderit: quaero, quo modo occiderit. ita quaero abs te, C. Erui, quo modo, & sic tecum agam, ut in eo loco uel respondendi, uel interpellandi tibi potestatem faciam, uel etiam, si quid uoles, interrogandi. Quo modo occidit? ipse percussit, an alijs occidendum dedit?

si ipsum arguis: Romae non fuit: si per alios fecisse dicis: quaero, seruos ne, an liberos? quos homines? indidem ne Ameria, an hosce ex urbe sicarios? si Ameria, qui sunt hi? cur non nominantur? si Roma, unde eos nouerat Roscius? qui Romam multis annis non uenit, neque unquam plus triduo fuit. ubi eos conuenit? quicum locutus est? quo modo persuasit? pretium dedit? cui dedit? per quem dedit? unde, aut quantum dedit? non ne his uestigys ad caput maleficij perueniri solet? Et simul tibi in mentem ueniat facito, quemadmodum uitam huiusce depinxeris: hunc hominem ferum, atque agrestem fuisse: numquam cum homine quoquam collocutum esse: numquam in opido constituisse. Qua in re praetereo illud, quod mihi maximo argumento ad huius innocentiam poterat esse; in rusticis moribus, in uictu arido; in hac horrida, incultaq. uita, istiusmodi maleficia gigni non solere. ut non omnem frugem, neque arborem in omni agro reperire possis: sic non omne facinus in omni uita nascitur. in urbe luxuries creatur: ex luxuria exultat auaritia necesse est, ex auaritia erumpat audacia: inde omnia scelera ac maleficia gignuntur. uita autem haec rustica, quam tu agrestem uocas, parcimoniae, diligentiae, iustitiae magistra est. Verum haec missa facio: illud quaero, is homo, qui, ut tute dicis, numquam inter homines fuerit, per quos homines hoc tantum facinus, tam occultum, absens praesertim, conficere potuerit. Multa sunt falsa, iudices, quae tamen argui suspiciose possunt: in his rebus si suspicio reperia erit, culpam inesse concedam.

EXPLANATIO

DVM ea rerum potita est, & prudentiam enim cum imperio simul amisit. EVM, & indicantis est, nec sine lepore: ut alibi saepe. **QVI** leges scripserit, & abrogatis propter nimiam seueritatem, quas Draco antea scripserat, exceptis quae ad caedem pertinebant. **ADMONERE** & in animos hominum inducere, quod alioqui non cogitaretur. **EXPIARI** putantur, & cum aqua salsa maris adsparguntur. **TAM** uulgare, & tam commune. **Etenim, quid tam est commune, quam spiritus uiuis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus eiectis?** & recitat, atque etiam laudat haec uerba in Oratore, ut ab adolescente exsultantis ingenij pronunciata. Quantis, inquit, illa clamoribus adolescentuli diximus de supplicio parricidarum: quae nequaquam satis deferuisse, post aliquanto sentire coepimus. Quid enim tam commune, quam spiritus uiuis. & quae sequuntur. Quibus recitatis, haec subiungit: Sunt enim omnia, sicut adolescentis, non tam re, & maturitate, quam spe, & expectatione laudari. **TANTI maleficij crimen, cui maleficio** & dixi iam, iterationem eiusdem uerbi concinnitate aliqua non carere. addamus tamen & hic exempla nonnulla. In Diuin Si quod tempus accidisset, quo tempore aliquid a me requireret. In eadem: Cum illius diei mihi uenit in mentem, quo die, citato reo, mihi dicendum sit. Lib. V. in Verrem: Scitote esse opidum in Sicilia nullum, quo in opido. **IN EO** loco & in subfellijs accusatorū. sic pro Cluentio: Audete negare, ab Oppianico Staleno iudici pecuniam datam. negate, negate, inquam, in eo loco. **FACIAM potestatem** & quam accusator, nisi patrono permittente, non habebat. **INDIDEM** & ex eodem loco, ubi erat. addit, Ameria, explanationis causa.

ORATIO

ROMAE Sex. Roscius occiditur, cū in agro Amerino esset filius. literas, credo, misit alicui sicario, qui Romae nouerat neminem. accersiuit aliquem: at quando? nuncium misit: quem? aut ad quem? pretio, gratia, spe, promissis induxit aliquem: nihil horum ne confingi quidem potest: & tamen causa de parricidio dicitur. Reliquum est, ut per seruos id admisit.

o dij immortales, rem miseram, & calamitosam. quod in tali crimine innocenti saluti solet esse, ut seruos in quaestionem polliceatur; id Sex. Roscio facere non licet: uos, qui hunc accusatis, omnes eius seruos habetis: unus puer, uictus quotidiani administer, ex tanta familia Sex. Roscio relictus non est. Te nunc appello, P. Scipio, te, Metelle: uobis aduocatis, uobis agentibus,

tibus, aliquoties duos seruos paternos in quaestionem ab aduersarijs Sex. Roscius postulauit. meministis ne T. Roscium recusare? quid? ij serui ubi sunt? Chrysgonum, iudices, sectantur, apud eum sunt in honore, & in pretio. etiam nunc, ut ex his quaeratur, ego postulo, hic orat, atque obsecrat. quid facitis? cur recusatis? Dubitate etiam nunc, iudices, si potestis, a quo sit Sex. Roscius occisus: ab eo ne, qui propter illius mortem in egestate, & insidijs uersatur, cui ne quaerendi quidem de morte patris potestas permittitur, an ab ijs, qui quaestionem fugitant, bona possident, in caede, atque ex caede uiuunt. Omnia, iudices, in hac caussa sunt misera, atque indigna: tamen hoc nihil neque acerbius, neque iniquius proferri potest. mortis paternae de seruis paternis quaestionem habere filio non licet. ne tam diu quidem dominus erit in suos, dum ex ijs de patris morte quaeratur. ueniam, neque ita multo post, ad hunc locum. nam hoc rotum ad Roscios pertinet: de quorum audacia tum me dicturum pollicitus sum, cum Erutij crimina diluissim. Nunc, Eruti, ad te uenio. Conueniat mihi tecum, necesse est; si ad hunc maleficium istud pertinet, aut ipsum sua manu fecisse, id quod negas; aut per aliquos liberos, aut seruos. liberos ne? quos neque ut conuenire potuerit, neque qua ratione inducere, neque ubi, neque per quos, neque qua spe, aut quo pretio, potes ostendere. ego contra ostendo, non modo nihil eorum fecisse Sex. Roscium, sed ne potuisse quidem facere; quod neque Romae multis annis fuerit, neque de praedijs unquam temere disceserit. Restare tibi uidebatur seruorum nomen, quo, quasi in portum reiectus a ceteris suspitionibus, confingere posses: ubi scopulum offensis eiusmodi, ut non modo ab hoc crimen resillire uideas, uerum omnem suspi-

cionem in uosmetipsos recidere intelligas. Quid est ergo, quo tandem accusator inopia argumentorum congerit? eiusmodi tempus erat, inquit, ut homines uulgo impune occiderentur. quare tu hoc, propter multitudinem sicariorum, nullo negotio facere potuisti. interim mihi uideris, Eruti, una mercede duas res assequi uelle, nos iudicio perfundere, accusare autem eos ipsos, a quibus mercedem accepisti. Quid ais? uulgo occidebantur: per quos? & a quibus? non ne cogitas te a sectoribus. huc adductum esse? quid postea? nescimus, per ista tempore eosdem fere sectores fuisse collorum, & bonorum: ij denique, qui tum armati dies noctesq. concursabant, qui Romae erant assidui, qui omni tempore in praeda & sanguine uersabantur, Sex. Roscio temporis illius acerbiter, iniquitatemq. obijcient? & illam sicariorum multitudinem, in qua ipsi duces ac principes erant, huic crimini putabunt fore? qui non modo Romae non fuit, sed omnino, quid Romae ageretur, ne sciret; propterea quod ruri assiduus, quemadmodum tute confiteris, fuit. Vereor, ne aut molestus sim uobis, iudices, aut ne ingenijs uestris uidear diffidere, si de tam perspicuis rebus diutius differam. Erutij criminatio tota, ut arbitror, dissoluta est. nisi forte expectatis, ut illa diluam, quae de peculatu, ac de eiusmodi rebus commenticijs, inaudita nobis ante hoc tempus, ac noua, obiecit. quae mihi iste uisus est ex alia oratione declamare, quam in alium reum commentaretur: ita neque ad crimen parricidij, neque ad eum, qui causam dicit, pertinebant. de quibus quoniam uerbo arguit, uerbo satis est negare. si quid est, quod ad restes referret; ibi nos quoque, ut in ipsa caussa, paratiores reperiet, quam putabat,

EXPLANATIO

P SCIPIO, te Metelle: § dixi iam, significari Scipionem eius patrem, qui Pompeij Magni socer fuit: Metellum autem eius Metelli, qui cum Lentulo Spinthere consulatum gessit. cur enim aliter credam, cum eos adesse, & federe Cicero dixerit aduocatos Sex. Roscij, in quibus auctoritas, atque amplitudo summa esset? Quae quidem in adolescentibus uerba locum non habent. Quid illa, quae ibidem subiungit? Ceterorum neque dictum obscurum potest esse propter nobilitatem, & amplitudinem, neque temere dicto concedi propter aetatem, & prudentiam; ego si quid liberius dixerem, uel occultum esse propterea, quod nondum ad remp. accessi, uel ignosci adolescentiae meae poterit. Aetatem ijs tribuit, & prudentiam, uiris certe, non adolescentulis. Infra uero tollitur plane dubitatio, ubi de iisdem Scipione, & Metello haec dicuntur: Postulabant homines nobilissimi, atque integerrimi nostrae ciuitatis: qui ita uixerunt, talesq. a populo Romano putantur, ut, quidquid dicerent, nemo esset, qui non aequum putaret. **D**UBITATE etiam nunc, iudices, si potestis, a quo sit Sex. Roscius occisus, § indignatio, quod in re perspicua dubitetur. tale illud in Verrem lib. III. Vos etiam nunc dubitate, si potestis, utrum tantum numerum tritici Venerius, apparitor istius, acceperit, an huic exegerit. Ibidem: Expectate etiam, iudices, si potestis, auctoritatem accusationis meae. Non dissimilis illa indignatio lib. II. Retinete, retinete hominem in ciuitate, iudices: parcite, & conseruate: ut sit, qui uobiscum res iudicet, qui in senatu sine ulla cupiditate de bello & pace sententiam ferat. **Q**UO, quasi in portum reiectus a ceteris suspitionibus, confugere posses: § quo argumento contra Roscium, ceteris deficientibus, uti posses. cum enim, per quem Roscius parricidium admiserit, commissum tibi non liceret: restabat unum, ut admisisse perfer uos diceret. at ego cupere Roscium ostendi, ut de seruis quaeratur: nec tamen id licere, quia seruos ei Chrysgonus ademerit. **S**COPYLVN § apte, quia dixerat, Portum, & Reiectus tamquam a fluctibus. **U**NA MERCEDE § cum a nostris aduersarijs pecuniam acceperis, ut Sex. Roscium, non ut eos ipsos, a quibus accepisses, accusares. **N**OS IUDICIO PERFUNDERE, § non dicit, nos accusare: ut leue contra Roscium hoc esse Erutij argumentum significet: sed, iudicio perfundere, id est, leuiter adspargere, aliqua nos iudicij molestia afficere. **A** SECTORIBVS § ab ijs, qui proscriptorum bona emunt. Chrysgonum deliquit. **S**ECTORES collorum, & bonorum: § ut, quos occidissent, eorum bona tamquam proscriptorum emerent. ideo autem colla secabantur proscriptorum, ut, capitibus in Rostra delatis, caedes omnibus pateret,

pateret, praemiaq. sectoribus darentur. itaque in oratione contra competitoros dixit Cicero de Catilina: Populum uero, cum, inspectante populo, collum secuit hominis maxime popularis, quanti faceret, ostendit. Eodemq. referuntur illa pro Murena: Descendi in campum cum illa lata, insigniq. lorica, non quae me tegetet, (etenim sciebam Catilinam non latus, aut uentrem, sed caput, & collum solere petere) uerum, ut omnes boni animaduertent. Et proprie, Sectores collorum, & bonorum, uno uerbo duabus rebus accommodato. nam, quod ad bona pertinet, satis constat, sectorem a secando, idest caedendo, dictum: quod in auctione separatim singula uendi solerent, domus, praedia, supellex, nomina: ut quasi secari bona uiderentur. & quia, secare, & caedere, idem sunt, propterea dixit L. Crassus in prooemio lib.III. de Orat. Non tibi illa sunt caedenda, si Crassum uis coercere: haec tibi est excidenda lingua: qua uel euulsa, spiritu ipso libidinem tuam libertas mea refutabit. Loquebatur Crassus de sectione auctonaria eorum pignorum, quae sibi consul Philippus abstulerat. *NI SI forte expectatis,* & ut illa diluam. Negat hic loquendi modus: est enim pro, Non expectatis. infra: Nisi hoc mirum est, quod uis diuina assequi non possit, si id mens humana adepta non sit. Et aliquanto post: Nisi hoc indignum putas, quod uestitum sedere in iudicio uides. pro, quod indignum putare non debes. Et in Verrem lib.II. Nisi forte id agimus, non ut magistratibus nostris morem accipiendi, sed focijs causam dicendi auferre uideamur. In Catone: Nisi forte ego uobis, qui & miles, & tribunus, & legatus, & consul uersatus sum in uario genere bellorum, cessare nunc uideor. cum bella non geram. Idem ualet, Nisi si: quamquam id interdum est dubitatis, ut apud Terentium in Andr. Repudiatu repeto, quamobrem? nisi si id est, quod suspirio: Aliquid nostri alunt. Eodem pertinet, Nisi uero: ut in Cat.II. Nisi uero si quis est, qui Catilinae similes cum Catilina sentire non putet. Et pro Milone: Nisi uero existimatis, dementem P. Africanum fuisse: qui cum a C. Carbone tribuno pl. seditiose interrogaretur, quid de Ti. Gracchi morte sentiret, respondit, iure caelum uideri. *NE QVE ad crimen parricidij* & ad nullam parricidij partem. *NE QVE ad eum, qui causam dicit,* & ad Roscium. *UT IPSA causa* & in qua agenda paratiorem me reperit, quam putabat.

O R A T I O

VENIO nunc eo, quo me non cupiditas ducit, sed fides. nam, si mihi liberet accusare, accusarem alios potius, ex quibus possem crescere: quod certum est non facere; dum utrumuis licebit. is enim mihi uidetur amplissimus, qui sua uirtute in altiore locum peruenit, non qui ascendit per alterius incommodum, & calamitatem. Desinamus aliquando ea scrutari, quae sunt inania: quaeramus, ubi maleficium est, & inueniri potest. iam intelliges, Erui, certum crimen quam multis suspicionibus coarguatur. tametsi neque omnia dicam, & leuiter unumquodque tangam. neque enim id facerem, nisi necesse esset: & id erit. signi me inuitum facere, quod non prosequar longius, quam salus huius, & mea fides postulat. Causam tu nullam reperiebas in Sex. Roscio. at ego in T. Roscio reperio. tecum enim mihi res est, T. Rosci, quoniam istic sedes, ac te palam aduersarium esse profiteris. de Capitone post uiderimus, si, quemadmodum paratum esse audio, testis prodierit. tum alias quoque suas palmas cognoscet, de quibus me ne audisse quidem suspicatur. L. Cassius ille, quem populus R. uerissimum & sapientissimum iudicem putabat, identidem in causis quaerere solebat, cui bono fuisset. sic uita hominum est, ut ad maleficium nemo conetur sine spe, atque emolumento accedere. hunc quaesitorem, ac iudicem fugiebant, atque horrebant ij, quibus periculum creabatur: ideo quod, tametsi ueritatis erat amicus, tamen natura non tam propensus ad misericordiam, quam inclinatus ad seueritatem uidebatur. Ego, quamquam praesens est huic quaestioni iur & contra audaciam fortissimus, & ab innocentia clementissimus, tamen facile me paterer, uel illo ipso acerrime iudice quaerente, uel apud Cassianos iudices, quorum etiam nunc ij, quibus causa dicenda est, nomen ipsum reformidant, pro Sex. Roscio dicere, in hac enim causa cum uiderent illos amplissi-

mam pecuniam possidere, hunc in summa mendicitate esse, illud quidem non quaerent, cui bono fuisset; sed & perspicuum crimen, & suspicionem potius ad praedam adiungerent, quam ad egestatem. quid, si accedit eodem, ut tenuis antea fueris? quid, si, ut auarus? quid, si, ut audax? quid, si, ut illius, qui occisus est, inimicissimus? num quaerenda causa, quae te ad tantum facinus adduxerit? quid ergo horum negari potest? tenuitas hominis eiusmodi est, ut dissimulari non queat, atque eo magis eluceat, quo magis occultatur. auaritiam praefers, qui societatem coiuris de municipis, cognatiq. fortuna cum alienissimo. quam sis audax, (ut alia obliuiscar) hinc omnes intelligere poterunt, quod ex tota societate, hoc est ex tot sicarijs, solus tu inuentus es, qui cum accusatoribus sederes, atque os tuum non modo ostenderes, sed etiam offerres. inimicitias tibi fuisse cum Sex. Roscio, & magnas rei familiaris controuersias, concedas, necesse est. Restat, iudices, ut hoc dubitemus, uter potius Sex. Roscium occiderit; is, ad quem morte eius diuitiae uenerint; an is, ad quem mendicitas: is, qui antea tenuis fuerit; an is, qui postea factus sit egentissimus: is, qui ardens auaritia feratur insectus in suos; an is, qui semper ita uixerit, ut quacsum nosset nullum, fructum autem eum solum, quem labore peperisset; is, qui omnium sectorum audacissimus sit; an is, qui propter fori iudiciorumq. insolentiam non modo subsellia, uerum etiam urbem ipsam reformidat: postremo, iudices, id quod ad rem mea sententia maxime pertinet, utrum inimicus potius, an filius. Haec tu, Erui, tot & tanta si nactus esses in reo, quam diu diceres? quo te modo iactares? tempus hercule te citius, quam oratio, deficeret. etenim in singulis rebus eiusmodi materies est, ut dies singulos possis consumere: neque ego non possum: non enim mihi tantum derogo, tametsi nihil ar-

rogo,

rogo, ut te copiosius, quam me putem posse dicere. uerum ego forsitan propter multitudinem patronorum in grege annumerer: te pugna Cannensis accusatorem sat bonum facit. multos caesos non ad Thrasmenum lacum, sed ad Seruilium uidimus. quis ibi non est uulneratus ferro Thyrgio? non necesse est omnes commemorare, Curtios, Marios, denique Mamercos, quos iam aetas a proelijs auocabat; postremo Priamum ipsum, senem Antistium, quem non modo aetas, sed etiam leges pugnare prohibebant. iam, quos nemo propter ignobilitatem nominat, sexcenti sunt, qui inter sicarios, & de ueneficijs accusabant. qui omnes, quod ad me attinet, uellem uiuerent: nihil enim mali est, canes ibi quamplurimos esse, ubi permulti obseruandi, multaque seruanda sunt. uerum, ut fit, multa saepe, imprudentibus imperatoribus, uis belli, ac turba molitur. dum is in alijs rebus erat occupatus, qui summam rerum

administrabat; erant inter ea, qui suis uulneribus mederentur, qui, tanquam si offensa reip. sempiterna nox esset, ita ruebant in tenebris, omniaq. miscebant. a quibus miror, ne quod iudiciorum esset uestigium, non subsellia quoque esse combusta: nam & accusatores, & iudices sustulerunt. hoc commodi est, quod ita uixerunt, ut testes omnes, si cuperent, interficere non possent. nam, dum hominum genus erit; qui accuset eos, non deerit: dum ciuitas erit, iudicia fient. Verum, ut coepi dicere, & Erutius, haec si haberet in causa quae commemorauit, posset ea quamuis diu dicere, & ego, iudices, possum: sed in animo est, quemadmodum ante dixi, leuiter transire, ac tantummodo perstringere unam quamque rem; ut omnes intelligant, me non studio accusare, sed officio defendere. Video igitur causas esse permultas, quae istum impellerent: uideamus nunc, eaeque facultas suscipiendi maleficij fuerit.

EXPLANATIO

ALIOS potius; nobiliores T. Roscio; in quem cogor ea dicere, quae salus Sex. Roscij, meaq. fides postulat. Ex **Q**UIBUS possem crescere: in honoris locum altiore adscendere. Sic lib. V. in Verrem: Si uideor hic, id quod ego non quaesiui, de uno isto uoluissse crescere: isto absoluto, quod sine multorum scelere fieri non potest, de multis mihi crescere licebit. **D**VM utrumuis licebit. non licuit utruuis in causa Verris, Siculis eius promissa commemorantibus, & ut fortunae eorum omnes defenderet orantibus. **Q**UONIAM istic sedes; in subsellijs accusatorum. **A**LIAS suas palmas cognosceret; alias caedes, me narrante. supra: Multarum palmarum uetus, & nobilis gladiator. infra: Audio praeterea non hanc suspicionem nunc primum in Capitonem conferri, multas esse infames palmas, hanc primam esse tamen lemniscatam, quae Romae deferatur. **L. CASSIVS**; de quo supra diximus. **Q**UEM populus Romanus uerissimum, & sapientissimum iudicium putabat, itaque praefecit eum iudicio uirginum Vestalium: quas omnes, nimia etiam, ut putatur, asperitate usus, damnauit. **A**lconius. Sic uita hominum est, Terentianum in Ad. Ita uita est hominis, quasi cum ludas tesseris. **Q**UAE SITORUM, ac iudicem; quaesitor iudicio praerat: iudices quaesitori parebant. recte igitur distinxit quaesitorem, ac iudicem. **N**ATVRA non tam propensus ad misericordiam, quam implicatus ad seueritatem uidebatur; Nihil simile inter, Propensus, & Implicatus. quod si pro, Implicatus, leges, Inclinator, translatio commode absoluetur. **P**RAEEST huic quaestioni; praetor M. Fannius. **C**ONTRA audaciam; accusatorum, qui uel ad ipsa subsellia cum ferro telisq. uenerunt. **A**B innocentia; pro innocentia. opponuntur enim, Contra audacia, Ab innocentia **C**LEMENTISSIMVS; cognita Sex. Roscij innocentia clementissimus se praebit. **I**LLO ipso; L. Cassio. **A**CERRIMO iudice; acerrime iudicia exercere solito. **Q**UAE RENTE; quaesitore, loco Fannij. **C**ASSIANOS; Cassij seueritati simillimos. **I**LVD quidem non quaerent; quod satis patet. **U**T tenuis antea fueris; contra T. Roscium. Tenuis autem, pro, pauper, ut supra; Mallius Glauca quidam, homo tenuis. **C**VM alienissimo; cum Chryfogono. **T**E pugna Cannensis; Cannensi pugna quot Romanorum millia caesa sint, nemo uel paullo humanior ignorat. Cannensem a similitudine uocat. eam pugnam, qua Sulla Marianos quamplurimos occidit. **A**CCUSATOREM sat bonum; caesis reliquis Cannensi pugna. Non tu, inquit, propter eloquentiam accusator sat bonus es, sed quia perire, qui accusare consueuerant. **N**ON ad Thrasmenum; ad quem lacum Hannibal, ante Cannensem pugnam, magno proelio, caeso etiam Flaminio consule, Romanos uicit. Nominat hunc lacum, quia similiter ad lacum caedes magna Sullae iussu facta est. **S**ERUILIUM; a conditore uocatum. Romae fuit in principio uici iugarij, continens, ut ait Festus, basilicae Iuliae. Haec historia reperitur apud Senecam in libro de prouidentia Dei, & Iulium Firmicum. Seneca sic: Viderint, inquit, hoc isti, quos Romae deprehendit felicitas tua. Videant largum in foro sanguinem, & supra Seruilianum lacum (id enim proscritionis spoliarium est) fenatorum capita, & passim uagantes per urbem percussorum greges, & multa millia Romanorum uno loco post fidem, immo per ipsam fidem trucidata. Firmicus autem his uerbis: Vis ne aliquid tibi, quia in Sullanis temporibus immoramur, de lacu Seruilio referam? in quo multorum fenatorum capita ad ostentationem immanissimi facinoris, sectis ceruicibus pependerunt. **Q**UIS ibi non est uulneratus ferro Thyrgio; non dubito, quin sit uersus ex uetere tragoedia, translatus ad indicandam ciuium Romanorum caedem, ad Seruilianum lacum Sullae iussu commissam. **C**VRTIOS; accusatorum, qui ad Seruilium lacum caesi sunt, nomina commemorat. **M**AMERCOS; Aemiliae gentis. **A** PROELIIS auocabat; hoc dicit, ut eos hoc ipso tantum interfectos, quia essent accusatores, ostendat, non quia pro Marianis contra Sullam pugnasent. **P**RIAMVM ipsum; comparat Antistium Priamo, quia, ut ille summa senectute, in magna Troianorum caede, occisus esset, sic Antistius, multis caesis accusatoribus, senex admodum

modum ideo necatus est, ne quis esset, qui de quotidianis caedibus quemquam accusaret. Priami autem mentionem induxit, quia dixerat, Ferro Phrygio. De hoc in Bruto: Coniunctus Sulpicij aetati P. Antistius fuit, rabula sane probabilis: qui, multos cum tacuisset annos, neque contemni solum, sed irrideri etiam solitus esset, in tribunatu primum contra C. Iulij illam consulatus petitionem extraordinariam, ueram causam agens est probatus, & eo magis, quod, eandem causam cum ageret eius collega ille ipse Sulpicius, hic plura, & acutiora dicebat. itaque post tribunatum primo multae ad eum causae, deinde omnes, maximae quaecumque erant, deferebantur. rem uidebat acute, componebat diligenter: memoria ualebat: uerbis non ille quidem ornatis utebatur, sed tamen non abiectis. expedita autem erat, & perfacile currens oratio. & erat eius quidam tamquam habitus non inurbanus: actio paullum cum uitio uocis, tum etiam ineptijs claudicabat. hic temporibus floruit ijs, quibus inter profectorem reditumq. L. Sullae sine iure fuit, & sine ulla dignitate resp. **LEGES pugnare prohibebant.** § lex fuit, per quam ultra aetatis annum XLVI non pugnare licuerit, auctoribus Cicero in Catone, Polybio lib. VI. de rep. quae uero discrete pugnare prohibuerit, nulla, quod sciam, nominatur. & opinor, ait Cicero, Prohiberent, pro, Non cogèrent: oratorie. **Qui suis uulneribus mederentur,** § qui uel suos inimicos ulciscerentur, uel eos, qui accusare solerent, simulq. iudices ipsos occiderent: ita fore sperantes, ut suorum scelerum poenas effugerent.

ORATIO

Vbi occisus est Sex. Roscius? Romae. quid tu, Rosci, ubi tunc erat? Romae. uerum, quid ad rem? & alij multi. quasi nunc id agatur, qui ex tanta multitudine occiderit: ac non hoc quaeratur, eum, qui Romae sit occisus, utrum uerisimilius sit ab eo esse occisum, qui assiduus eo tempore Romae fuerit; an ab eo, qui multis annis Romam omnino non accesserit. Age nunc, ceteras facultates quoque consideremus. Erat tum multitudo sicariorum, id quod commemorauit Erutius: & homines impune occidebantur. quid? ea multitudo quae erat? opinor, aut eorum, qui in bonis erant occupati; aut eorum, qui ab iis conducebantur, ut aliquem occiderent. si eos putas, qui alienum appetebant; tu es in eo numero, qui nostra pecunia diues es: sin eos, quos, qui leniore nomine appellat, percussores uocant, quaere, in cuius fide sint, & clientela: mihi crede, aliquem de societate tua reperies. & quidquid tu contra dixeris, id cum defensione nostra contendito: ita facillime causa Sex. Roscij cum tua conferetur. Dices, quid postea, si Romae assiduus fui? respondebo: at ego omnino non fui. Fateor sectorem esse, uerum & alij multi. at ego, ut tute arguis agricola, & rusticus. non continuo, si me in gregem sicariorum contuli, sum sicarius. at ego profecto, qui ne noui quidem quemquam sicarium, longe absum ab eiusmodi crimine. Permulta sunt, quae dici possunt, quaere intelligatur summam tibi facultatem fuisse malefici suscipiendi: quae non modo iccirco praetereo, quod te ipsum non libenter accuso; uerum eo magis etiam, quod, si de illis caedibus uelim commemorare, quae tum factae sunt ista eadem ratione, qua Sex. Roscius occisus est, uereor ne ad plures oratio mea pertinere uideatur. Videamus nunc strictim, sicut cetera, quae post mortem Sex. Roscij, abs te, T. Rosci, facta sunt: quae ita aperta & manifesta sunt, ut mediocriter, iudices, inuitus ea dicam. uereor enim, cuiusmodi es, Rosci, ne ita hunc uidear uoluisse seruare, ut tibi omnino non pepercerim. cum hoc uereor, & cupio tibi aliqua ex parte, quod salua fide possim, parere; rursus immuto uoluntatem meam. uenit enim mihi in mentem oris tui. te ne, cum ceteri socij tui fugerent, ac se occultarent, ut hoc iudicium non de illorum praeda, sed de huius maleficio fieri uideretur; po-

tissimum tibi partes istius depoposuisse, ut in iudicio uersarere, & sederes cum accusatore? qua in re nihil aliud assequeris, nisi ut ab omnibus mortalibus audacia tua cognoscatur, & impudentia. Occiso Sex. Roscio, qui primus Ameriam nunciat? Mallius Glaucia, quem iam antea nominaui, tuus cliens, & familiaris. quid attinuit eum potissimum nunciare, quod, si nullum iam ante consilium de morte, ac de bonis inieras, nullamq. societatem neque sceleris, neque praemij cum homine ullo coieras, ad te minime omnium pertinebat? Sua sponte Mallius nunciat? quid, quaeso, eius intererat? An cum Ameriam non huiusce rei causa uenisset, casus accidit, ut id, quod Romae audierat, primus nuntiaret? cuius rei causa uenerat Ameriam? non possum, inquit, diuinare. eo rem iam adducam, ut nihil diuinatione opus sit. Qua ratione Roscio Capitori primum nunciauit? cum Ameriae Sex. Roscij domus, uxor, liberiq. essent, cum tot propinqui cognatq. optime conuenientes; qua ratione factum est, ut iste tuus cliens, sceleris tui nuncius, T. Roscio Capitori potissimum nunciaret? occisus est a cena rediens. nondum lucebat, cum Ameriae scitum est. quid hic incredibile cursus? quid haec tanta celeritas, festinatioq. significat? non quaero, quis percussit. nihil est, Glaucia, quod metuas: non excutit te, si quid forte ferri habuisti, non scrutor: nihil ad me arbitror pertinere. quoniam, cuius consilio occisus sit, inuenio; cuius manu sit percussus, non laboro. unum hoc sumo, quod mihi apertum tuum scelus, resq. manifesta dat: ubi, aut unde audiuit Glaucia, qui tam cito sciuit? sic audisse statim. quae res eum nocte una tantum itineris contendere coegit? quae necessitas cum tanta premebat, ut, si sua sponte iter Ameriam faceret, id temporis Roma proficisceretur? nullam partem noctis requiesceret? Etiam ne in tam perspicuis rebus argumentatio quaerenda, aut coniectura capienda sit? nonne uobis haec, quae audistis, cernere oculis uidemini, iudices? non illum miserum, ignarum casus sui, redeuntem a cena uidetis? non positas insidias? non impetum repentinum? non uersatur ante oculos uobis in caede Glaucia? non adest iste T. Roscius? non suis manib. in curru collocat. Aut uideantem illum, sui sceleris acerbissimi, nefariaeq. uictoriae nuncium: non orat, ut eam

eam noctem peruigilet? ut honoris sui causa laboret? ut Capitonem quamprimum nunciet? quid erat, quod Capitonem primum scire uoluerit? nescio: nisi hoc uideo, Capitonem in his bonis esse socium: de tribus & decem fundis tres nobilissimos fundos eum uideo possidere. audio praeterea, non hanc suspicionem nunc primum in Capitonem conferri, multas esse infames palmas, hanc primam esse tamen lemniscatam, quae Romae deferatur: nullum modum esse hominis occidendi, quo ille non aliquot occiderit: multos ferro, multos ueneno. habeo etiam dicere, quem, contra morem maiorum, minorem annis LX de ponte in Tiberim deiecerit. quae, si prodierit, atque adeo cum prodierit, scio enim proditurum esse, audiet. ueniat modo, explicet suum uolumen illud; quod ei, planum facere possum, Erutium conscripisse: quod aiunt illum Sex. Roscium intentasse, & minitatum esse, se omnia illa pro testimonio esse dicturum. o praeclarum testem, iudices: o grauitatem dignam expectatione: o uitam honestam, atque eiusmodi, ut libentibus animis ad eius testimonium uestrum insurandum accommodetis. profecto non tam perspicue istorum maleficia uideremus, nisi ipsos caecos redderet cupiditas, & auaritia, & audacia. Alter ex ipsa caede uoluerem nuncium Ameriam ad socium, atque ad magistrum suum misit, ut, si dissimulare omnes cuperent se scire ad quem maleficium pertineret, tamen ipse apertum suum scelus ante omnium oculos po-

neret. Alter, si dijs immortalibus placet, testimonium etiam in Sex. Roscium dicturus est. quasi uero id nunc agatur, utrum id, quod dixerit, credendum, an, quod fecerit, uindicandum sit. itaque more maiorum comparatum est, ut in minimis rebus homines amplissimi testimonium de sua re non dicerent. Africanus, qui suo cognomine declarat tertiam partem orbis terrarum se subegisse, tamen, si sua res ageretur, testimonium non diceret. nam illud in talem uirum non audeo dicere: si diceret, non crederetur. Videte nunc, quam uersa, & mutata in peiorem partem sint omnia. cum de bonis, & de caede agatur, testimonium dicturus est is, qui & seftor est, & sicarius, hoc est, qui & illorum ipsorum bonorum, de quibus agitur, emptor, atque possessor est, & eum hominem occidendum curauit, de cuius morte quaeritur. Quid tu, uir optime? ecquid habes, quod dicas? mihi ausculta: uide, ne tibi desis: tua quoque res per magna agitur. multa scelerate, multa audacter, multa improbe fecisti, unum stultissime, profecto tua sponte, non de Erutij sententia. nihil opus fuit te istic sedere. neque enim accusatore muto, neque rege quisquam uitur eo, qui de accusatoris subsellio surgit. huc accedit, quod paulo tamen occultior, atque tectior uestra ista cupiditas esset. nunc quid est, quod quisquam ex uobis audire desideret; cum, quae facitis, eiusmodi sint, ut ea dedita opera a uobis contra uosmet ipsos facere uideamini?

EXPLANATIO

QVAE ISTVM impellerent: § T. Roscium. QVI IN bonis erant occupati; § qui aliena bona appetebant. ALIQVEM § Chrylogonum dicit. CVICVIMODI es, Rosci, § qualisqualis es, uel uir bonus, uel improbus. MALLIUS § supra nominatus, cliens T. Roscij. QVOD salua fide possim § modo ne Sex. Roscij causa, & officio meo desim. CVM accusatore? § Erutio. IN curru § clijs, dixit supra. AVTVMEDONTEM § Glauciam, aurigae Achillis Autumedonti, qui curru celerissime ferretur, persimilem. NESICIO: nisi hoc uideo § modus loquendi, Ciceroni, Terentio, Plauto familiaris. ep. ad Memmium: Equidem, si, quid ipse sentiam, quaeris; nec, cur ille tantopere condendat, uideo, nec cur tu repugnes: nisi tamen multo minus tibi concedi potest, quam illi, laborare sine causa. VIDEO possidere § abundare arbitror, Video. INFAMES palmas § nobiles, & gloriosae in uictoria palmarum gladiatorum erant: huius gladiatoris infames fuere: ciues enim occidit. supra. LEMNISCATAM § ceteris nobiliorem, propter lemniscos, idest fasciolas, ut ait Festus, et corona dependentes. QVAE Romae deferatur: § propter necem Sex. Roscij. CONTRA morem maiorum, § iocatur. nam more maiorum nemini post annos LX ferre suffragium licebat. ij porro Depontani senes, idest, de ponte deiectioni, uocabantur: quia pontes erant lignei, ad tempus facti, in quibus suffragia ferebantur. Capito autem uere nescio quem in Tiberim deiecerat. Norus est ille mos ex Festo, Varrone, & Quindio, Suetonio, Nonio, Cicerone, scriptore etiam Rhet. ad Herennium. AD magistrum suum § Capitonem, supra: Contulit se ad eum lanistam. ALTER ex ipsa caede § T. Roscius Magnus. ALTER § T. Roscius Capito. SI DIIS immortalibus placet, § quod mihi propositum initio fuit, onus hoc explanandarum Ciceronis orationum suscipienti, ut sententia, obscuriores, quantum in me esset, illustrarem, Latiniq. sermonis proprietatem atque elegantiam ostenderem, inania quaedam, & inutilia, quae nonnulli ad ambitionem congerunt, ommitterem; id ut exsequar, accurate operam dabo; quam feliciter, alij uiderint. Hic loquendi modus, Si dijs placet, tum ad indignationem, tum ad gratiarum actionem pertinet. Indignantis est, ut in hoc loco, & in Pisonem: Appellatus est hic uulturius illius provinciae, si dijs placet, imperator. De Fin. lib. II. Quoniam, si dijs placet, ab Epicuro loqui discimus. Tusc. V. Qua gloria commotus Epicurus exoritur: cui etiam, si dijs placet, uideretur semper sapiens beatus. Eodem spectat illud pro Flacco: Litemus igitur Lentulo: parentemus Cethego: reuocemus eiectionis nimiae pietatis & summi amoris in patriam nos poenas, si ita dijs placet, sufferamus. De Orat. lib. III. Etiam Latini, si dijs placet, hoc biennio magistri dicendi exstiterunt. Terentius in Eun. Vide, ut otiosus sit, si dijs placet. Quo loco Donatus: Proprium est exclamantis propter indignitatem alicuius rei, siue temeritatem, & indignantis. Catullus:

Deprendi modo pupulum puellae
Trufantem. hunc ego, si placet Dionae,
Protelo rigida mea cecidi.

Livius quoque saepe eodem modo locutus est. Gratias agentis illud est apud Plautum in Capt. Expediui ex feruitute filium, si dijs placet. Apud eundem in Truc. Postquam illoc ueni, aduenit.

Si dijs placet, ad uillam, argentum meo qui debebat patri.

AFRICANVS § minor. nam de maiore cum sit mentio, aliquid addi solet, ut, Africanus ille maior. TER-
TIAM partem orbis terrarum § Africam. Carthaginem enim stipendiariam fecit maior Africanus, euerit
minor. Is, QUI § sector est, & sicarius, § T. Roscius Magnus. cur & sector, & sicarius, sequentib. osten-
ditur. QUID tu, uir optime? § T. Roscium alloquitur, TE ISTIC sedere? cum accusatore. Mendose antes,
Te isti credere. MUTO, § si istic ut accusator sedes, cur files? &, si files, cur istic sedes? mutus enim
accusatore nemo utitur. NEQUE teste § ratio altera, cur sedere, T. Roscius cum accusatore non de-
beat. Si istic sedes, testimonium tibi dicere non licet. at testimonium dicturus es: istic igitur fede-
re non debes.

O R A T I O

AGE, nunc illa uideamus, iudices, quae statim
consecuta sunt. Ad Volaterras in castra L. Sul-
lae mors Sex. Roscij quatruido, quo is occisus est,
Chryfogono nunciatur. quaeritur etiam nunc, quis
eum nuncium miserit. non ne perspicuum est, eundem,
qui Ameriam § curat Chryfogonus, ut eius bona ue-
neant statim. qui non norat hominem, aut rem? atqui
ei uenit in mentem praedia concupiscere hominis igno-
ti, quem omnino numquam uiderat. soletis, cum ali-
quid huiusmodi auditis, iudices, continuo dicere: ne-
cesse est aliquem dixisse municipem, aut uicinum. ij
plerumque indicant; per eos plerique produntur. hic
nihil est, quod suspicionem hanc puteris. non enim ego
ita disputabo: uerisimile est Roscium istam rem ad Chry-
fogonum detulisse. erat enim eis cum Chryfogono iam
antea amicitia. nam, cum multos ueteres a maioribus
Roscij patronos, hospitesq. haberent, omnes eos colere
atque obseruare destiterunt, ac se in Chryfogoni fidem
& clientelam contulerunt. haec possum omnia uere di-
cere: sed in hac causa coniectura nihil opus est: ipsos
certo scio non negare, ad haec bona Chryfogonum
accessisse impulsu suo. Si eum, qui indicij partem
acceperit, oculis cerneretis: poteritis ne dubitare, iu-
dices, qui indicarit? qui sunt igitur in istis bonis, qui-
bus partem Chryfogonus dederit? duo Roscij. num
quisnam praeterea? nemo est, iudices. num ergo du-
bium est, quin ij obtulerint hanc praedam Chryfogono,
qui ab eo partem praedae tulerunt? Age, nunc ex ip-
sius Chryfogoni iudicio Rosciorum factum considere-
mus. Si nihil in ista pugna Roscij, quod operae pre-

tium esset, fecerant, quam ob causam a Chryfogono
tantis praemijs donabantur? si nihil aliud fecerunt,
nisi rem detulerunt; non ne satis fuit his gratias agi?
denique, ut perliberaliter ageretur, honoris aliquid
haberi? cur tria praedia, tantae pecuniae statim Ca-
pironi dantur? cur, quae reliqua sunt, iste Roscius om-
nia cum Chryfogono communiter possidet? non ne
perspicuum est, iudices, has manubias Roscij Chry-
fogonum, re cognita, concessisse? Venit in decempri-
mis legatus in castra Capito. Totam uitam, naturam,
moresq. hominis ex ipsi legatione cognoscite. nisi in-
tellexeritis, iudices, nullum esse officium, nullum ius
tam sanctum, atque integrum, quod non eius scelus,
atque perfidia uiolarit, & immineat; uirum optimum
esse eum iudicatote. Impedimento est, quo minus de his
rebus Sulla doceatur: ceterorum legatorum consilia,
& uoluntatem Chryfogono enunciat: monet, ut pro-
uideat, ne palam res agatur: ostendit, si sublata sit
uenditio honorum; illum pecuniam grandem amissu-
rum, sese capitis periculum aditurum: illum acuere,
hos, qui simul erant missi, fallere: illum identidem
monere, ut caueret; huius insidiose spem falsam osten-
dere: cum illo contra hos inire consilia, horum consilia
illi enunciare: cum illo partem suam de pacisci, huius,
aliqua fretus hora semper, omnes aditus ad Sullam
intercludere. postremo, isto hortatore, auctore, inter-
cessore, ad Sullam legati non adierunt: istius fide, ac
potius perfidia decepti, id quod ex ipsis cognoscere po-
teritis, si accusator uoluerit testimonium eis denun-
ciare, pro re certa spem falsam domum retulerunt.

E X P L A N A T I O

VOLATERRAS § a Sulla obsessas, ut Marianarum partium. uictis & agros ademir, & ius Roma-
nae ciuitatis. pro Domo, & ep. 4. lib. XIII. fam. EVNDEM, qui Ameriam? § T. Roscium Ma-
gnum, de quo supra: Occiso Sex. Roscio, qui primus Ameriam nunciat? Mallius Glaucia, tuus
cliens, & familiaris. HOMINEM, § Sex. Roscium. REM? § eius bona. AT QUI ei uenit in mente §
ironia: quia scilicet ei uenire in mentem non potuerit, nisi ad eum duo Roscij, Magnus, & Capito,
rem illam detulissent. ROSCIOS § Magnum, & Capitonem. IN CHRYSOGONI fidem, & cliente-
lam contulerunt § quia gratiosissimus esset apud Sullam. IN ISTA pugna § qua occisus est Sex. Ro-
scius. et, quia manubiae sunt ex pugna, ideo subiungitur paullo post, Has manubias. ALIQUA fre-
tus hora, § commoda sententia non elicitur? reponi posset, usitato genere loquendi: Aliqua facta mo-
ra. SI ACCUSATOR uoluerit eis testimonium denunciare, § nam reo denunciandi testimonij potestas
non dabatur.

O R A T I O

IN priuatis rebus si qui rem mandatam non modo malitiosius gessisset sui quaestus, aut commodi causa, uerum etiam negligentius, cum maiores summum admisisset dedecus existimabant: itaque mandati constitutum est iudicium, non minus turpe, quam furti; credo propterea, quod, quibus in rebus ipsi interesse non possumus, in his operae nostrae uicaria fides amicorum supponitur: quam qui laedit, oppugnat omnium commune praesidium, & quantum in ipso est, disturbat uitae societatem. non enim possumus omnia per nos agere; alius in alia est re magis utilis: iccirco amicitiae comparantur, ut commune commodum mutuis officiis gubernetur. quid recipis mandatum, si aut neglecturus, aut ad tuum commodum conuersurus es? cur mihi te offers, ac meis commodis officio simulato officijs, & obstitas? recede de medio; per alium transigam. suscipis onus officij, quod te putas sustinere posse: quod minime uidetur graue ijs, qui minime ipsi leues sunt. ergo iccirco turpis haec culpa est, quod duas res sanctissimas uiolat, amicitiam, & fidem. nam neque mandat quisquam fere, nisi amico; neque credit, nisi ei, quem fidelem putat. perditissimi est igitur hominis, simul & amicitiam dissoluere, & fallere eum, qui laesus non esset, nisi credidisset. Ita ne est? in minimis rebus, qui mandatum neglexerit, turpissimo iudicio condemnatur, necesse est: in re tanta, cum is, cui fama mortui, fortu-

nae uiui, commendatae sunt, atque concreditaе, ignominia mortuum affecerit, is inter honestos homines, atque adeo inter uiuos numerabitur? in minimis priuatisque rebus etiam negligentia in crimen mandati iudicij, infamia reuocatur; propterea quod, si recte fiat, illum negligere oporteat, qui mandarit, non illum, qui mandatum receperit: in re tanta, quae publice gesta, atque commissa sit, qui non negligentia priuatum aliquod modum laeserit, sed perfidia, legationis ipsius caerimoniam polluerit, maculaque affecerit, qua is tandem poena afficietur? aut quo iudicio damnabitur? si hanc ei rem priuatim Sex. Roscius mandauisset, ut cum Chrysgono transigeret, atque decideret; inq. eam rem fidem suam, si quid opus esse putaret, interponeret; ille, qui sese facturum recepisset, non ne, si ex eo negotio tantulum in rem suam conuertisset, damnatus per arbitrum, & rem restitueret, & honestatem omnem amitteret? nunc non hanc ei rem Sex. Roscius mandauit: sed, id quod multo grauius est, ipse Sex. Roscius cum fama, uita, bonisque omnibus a decurionibus publice Roscio mandatus est: & ex eo T. Roscius non paullum nescio quid in rem suam conuertit, sed hunc funditus euerit bonis: ipse tria praedia sibi depactus est; uoluntatem decurionum ac municipum omnium tantidem, quantum fidem suam, fecit.

E X P L A N A T I O

NON minus turpe, quam furti: § pro Caecina: Qui per tutelam, aut societatem, aut rem mandatam, aut fiduciae ratione fraudauit quempiam, in eo, quo delictum maius est, eo poena est tardior. est enim turpe iudicium. De Nat. de. lib. III. Inde tot iudicia, de fide mala, tutelae, mandati, pro socio, fiduciae. FAMA mortui, § existimatio Sex. Roscij, qui uideretur occisus esse, tamquam contra nobilitatem lenferit: cum tamen fautor nobilitatis perpetuo fuerit. FORTYNAE uiui § Roscij filij, suis fortunis a duobus T. Roscijs, & a Chrysgono per iniuriam spoliati. IGNOMINIA mortuum affecerit, § ignominia notatum reliquerit, quasi necatus ideo sit, quia proscriptus fuisset ut hostis nobilitatis. IN CRIMEN mandati, iudiciumq. infamia reuocatur. § rectius, opinor, iudiciumq. infamiae: pro, iudicium turpe, quod infamiam affert. nam supra: Mandati constitutum est iudicium, non minus turpe, quam furti. SI RECTE fiat, § si fiat id, quod debet, non enim recte fiet, si neglexerit is, qui mandatum receperit. QUI mandarit, § ubi enim mandauit, licet ei negligere: curare amplius eum non oportet. PER arbitrium, § per iudicem. nam ea iudicia, in quibus adderetur, Ex fide bona, quia familia arbitrijs essent, Arbitria uocabantur. pro Quinctio: Quasi ij, qui magna fide societatem gererent, Arbitrium pro socio condemnari solerent. Pro Q. Roscio: Cur non arbitrium pro socio adegeris, quaero. Lib. II. Off. Arbitrum illum adegit, quidquid sibi dare facere oporteret ex fide bona. Quibus in locis arbitrium pro iudicio, & arbitrum pro iudice accipi, satis constat. eadem enim lib. III. de Nat. de. appellantur iudicia tutelae, mandati, pro socio. Et in eodem libro de Off. iudicia uocantur, in quibus adderetur, Ex fide bona. ROSCIO § T. Roscio Capitoni. TRIA praedia § uel nobilissima, DEPACTVS est. § cum altero T. Roscio, & cum Chrysgono.

O R A T I O

VIDETE iam porro cetera, iudices, ut intelligatis fingi maleficium nullum posse, quo iste sese non contaminarit. In rebus minoribus socium fallere turpissimum est, atqueq. turpe, atque illud, de quo ante dixi: neque iniuria: propterea quod auxilium sibi se putat adiunxisse, qui cum altero rem communicauit.

ad cuius igitur fidem confugiet, cum per eius fidem laeditur, cui se commiserit? atqui ea sunt animaduertenda peccata maxime, quae difficillime praecautur. recti esse ad alienos possumus: intimi multa aperienda uideant necesse est: socium uero cauere qui possumus? quem etiam si metuimus, ius officij laedimus. recte igitur

tur maiores eum, qui socium fefellerit, in uirorum bonorum numero non putarunt haberi oportere. at uero T. Roscius non unum rei pecuniariae socium fefellerit; (quod tamen graue est, tamen aliquo modo posse ferri uidetur) uerum nouem homines honestissimos, eiusdem muneris, legationis, officij, mandatorumq. socios, induxit, decepit, destituit, aduersarius tradidit, omni fraude & perfidia fefellerit. qui de eius scelere suspicari nihil potuerunt, socium officij metuere non debuerunt; eius malitiam non uiderunt, orationi uanae crediderunt. itaque nunc illi homines honestissimi propter illius infidias parum putantur cauti prouidiq. fuisse. iste, qui initio proditor fuit, deinde perfuga, qui primo sociorum consilia aduersarijs enunciauit, deinde societatem cum ipsis aduersarijs coeque; terret etiam nos, ac minatur, tribus praedijs, hoc est praemis sceleris, ornatus. In eiusmodi uita, iudices, in his tot tantisque flagitijs hoc quoque maleficium, de quo iudicium est, reperietis. etenim quaerere ita debetis: ubi multa auare, multa audacter, multa improbe, multa perfidiose facta uidetis, ibi scelus quoque latere inter illa tot flagitia putatote. tamen hoc quidem minime latet, quod ita promptum, & propositum est, ut non ex illis maleficij, quae in illo constat esse, hoc intelligatur; uerum ex hoc, etiam si quod illorum sorte dubitabitur, conuincatur. Quid tandem, quaeso, iudices? num aut ille lanista omnino iam a gladijs recessisse uidetur, aut hic discipulus magistro tantulum de arte concedere? par est auaritia, similis improbitas, eadem impudentia, gemina audacia: etenim, quoniam fidem magistri cognouistis, cognoscite nunc discipuli aequitatem. Dixi iam antea, saepe numero postulatos esse ab istis duos seruos in quaestionem: tu semper, T. Rosci, recusasti. quaero abs te, ij ne, qui postulabant, indigni erant, qui impetrarent; an iste non commonebat, pro quo postulabant? an res ipsa tibi iniqua uidebatur? postulabant homines nobilissimi, atque integerrimi nostrae ciuitatis, quos iam antea nominauit, qui ita uixerunt, talesq. a populo R. putantur, ut, quidquid dicerent, nemo esset, qui non aequum putaret. postulabant autem pro homine miserimo, atque infelicissimo; qui uel ipse sese in cruciatum dari cupe-

ret, dum de patris morte quaereretur. res porro abs te eiusmodi postulabatur, ut nihil interesset, utrum eam rem recusares, an de maleficio confiterere. quae cum ita sint, quaero abs te, quam ob causam recusaris. cum occiditur Sex. Roscius, ibidem fuerunt. seruos ipsos, quod ad me attinet, neque arguo, neque purgo. quod a uobis hoc pugnari uideo, ne in quaestionem dentur, suspiciosum est: quod uero apud uos ipsos in honore tanto sunt, profecto necesse est, sciant aliquid, quod si dixerint, perniciosum uobis futurum sit. In dominos quaeri de seruis, iniquum est. an ne quaeritur? Sextus enim Roscius reus est: neque, cum de hoc quaeritur, nos dominos esse dicitis. cum Chryfogonus sunt. ita credo: litteris eorum, & urbanitate Chryfogonus ducitur, ut inter suos omnium deliciarum atque omnium artium pueros, ex tot elegantissimis familijs lectos, uelit hos uersari, homines paene operarios, ex Amerina disciplina patris familiae rusticani. non est ita profecto, iudices; non est uerisimile, ut Chryfogonus horum litteras adamarit, aut humanitatem; non, ut rei familiaris negotio diligentiam cognorit eorum, & fidem. est quiddam, quod occultatur: quod quo studiosius ab ipsis opprimitur, & absconditur, eo magis eminet, & apparet. quid igitur? Chryfogonus, sui maleficij occultandi causa, quaestionem de his haberi non uult? minime, iudices. non in omnes arbitror omnia conuenire. ego in Chryfogono, quod ad me attinet, nihil eiusmodi suspicor: neque hoc mihi nunc primum in mentem uenit dicere. meministis me ita distribuisse initio causam; in crimen, cuius tota argumentatio permixta eruditio est; & in audaciam, cuius partes Roscius impositae sunt. quidquid maleficij, sceleris, caedis erit, proprium id Rosciorum esse debet. nimiam gratiam, potentiamq. Chryfogoni dicimus & nobis obflare, & perferri nullo modo posse, & a uobis, quoniam potestas data est, non modo infirmari, uerum etiam uindicari oportere. ego sic existimo; qui quaeri uelit ex ijs, quos constat, cum caedes facta sit, affuisse, eum cupere uerum inuenire; qui recuset, eum profecto, tamen uerbo non audet, tamen re ipsa de maleficio suo confiteri.

EXPLANATIO

A TQVE illud, & mandati. **PRODITOR** & in legatione: cum sociorum consilia aduersarijs enunciauit. **ILLE lanista** & ter iam Capitonem Lanistam uocauit. **A GLADIIS recessisse** & ab arte sua. na lanista gladiatorum in gladijs perite tractandis magister est. itaque P. Rutilius Rufus, ex ludo C. Aurelij Scauri doctoribus gladiatorum accersitis, uitandi atque inferendi ictus subtiliorem rationem legionibus ingenerauit. Recte etiam legeretur, Gladiatura cessisse: cum sit in antiquis libris, Gladiatore cessisse. **FIDEM** & in legatione a decurionibus ei mandata. **AB ISTIS** & ab aduersarijs: id est, nos ab aduersarijs postulasse. **ISTE** & Sex. Roscius. **QVOS iam antea nominauit**: & Scipionem, & Metellum nominauit. **VEL ipse sese** & non modo seruos. **NEQVE arguo, neque purgo.** & argui, ac puniri etiam iure poterant, quod, eorum dominus cum occideretur ipsis praesentibus, opera non tulissent, propterea metu poenae seruos Marcelli fugisse, quod dominus eorum ante tabernaculum a Magio interfectus esset, scribit Sulpicius ad Ciceronem. uide apud Iustinianum, titulo, qui est, ad Syllanianum, V. VI. **AN NE quaeritur?** & non quaeritur, quia Sex. Roscius reus est, uos illorum seruorum, qui ad ipsum pertinent, domini. quod tamen uos non dicitis. **CVM de hoc quaeritur,** & in iudicio: cum accusatur. **FAMILIJS** & seruorum. id enim interdum ualet Familiae nomen. infra: Familiam uero quantam, & quam uarijs cum artificijs habeat, quid ego dicam?

O R A T I O

Dixi initio, iudices, nolle me plura de istorum scelere dicere, quam causa postularer, ac necessitas ipsa cogeret. nã & multae res afferri possunt; & unaquaeque earum multis cum argumentis dici potest. uerum ego, quod inuitus, ac necessario facio, neque diu, neque diligenter facere possum: quae praeteriri nullo modo poterant, ea leuiter, iudices, attingi: quae posita sunt in suspicionibus, de quibus si coepero dicere, pluribus uerbis sit differendum; ea uestris ingenis, coniecturaeq. committo. Venio nunc ad illud nomen aureum Chryfogoni: sub quo nomine tota societas statuitur. de quo, iudices, neque quo modo dicam, neque quo modo taceam, reperire possum. si enim taceo, uel maximam partem relinquo; sin autem dico, uereor ne non ille solus, id quod ad me nihil attinet, sed alij quoque plures laesos se esse putent. tametsi ita res se habet, ut mihi in communem causam sectorum dicendum nihil magno opere uideatur: haec enim causa nona profecto, & singularis est. Bonorum Sex. Roscij emptor est Chryfogonus. primum hoc uideamus, eius hominis bona quare uenerunt, aut quo modo uenire potuerunt. atq. hoc non ita quaeram, iudices, ut id dicam, esse indignum hominis innocentis bona uenisse. si enim haec audientur, ac libere dicentur; non fuit tantus homo Sex. Roscius in ciuitate, ut de eo potissimum conqueramur. uerum ego hoc quaero: qui potuerunt ista ipsa lege, quae de proscriptione est, siue Valeria est, siue Cornelia, (non enim noui, nec scio) uerum ista ipsa lege bo-

na Sex. Roscij uenire qui potuerunt? scriptum enim ita dicunt esse, ut eorum bona ueneant, qui proscripti sunt. quo in numero Sex. Roscius non est: aut eorum, qui in aduersariorum praesidijs occisi sunt. dum praesidia illa fuerunt, in Sullae praesidijs fuit: postea quam ab armis recesserunt; in summo otio, rediens a coena, Romae occisus est. si lege: bona quoque lege uenisse fateor. sin autem constat, contra omnes non modo ueteres leges, uerum etiam nouas: bona quo iure, aut quo modo, aut qua lege uenerint, quaero. In quem hoc dicam, quaeris Eruti? non in eum, quem uis, & putas: nam Sullam & oratio mea ab initio, & ipsius eximia uirtus omni tempore purgauit. ego haec omnia Chryfogonum fecisse dico, ut ementiretur, ut malum ciuem Roscium fuisse fingeret, ut cum apud aduersarios occisum esse diceret, ut his de rebus a legatis Amerinorum doceri L. Sullam passus non sit. denique etiam illud suspicor, omnino haec bona non uenisse: id quod postea, si per uos iudices, licitum erit, aperietur. opinor enim esse in lege, quam ad diem proscriptiones, uenditionesque fiunt, nimirum ad Kal. Iuu. aliquot post menses & homo occisus est, & bona uenisse dicuntur. profecto aut haec bona in tabulas publicas nulla redierunt; nosque ab isto nebulone facilius eludimur, quam putamus: aut, si redierunt, tabulae publicae corruptae aliqua ratione sunt. nam lege quidem bona uenire non potuisse constat.

E X P L A N A T I O

NOMEN aureum & iocatur in Chryfogoni nomine. χρυσός enim aurum est. SIUE Valeria est, siue Cornelia, & eam tulit L. Valerius Flaccus interrex, siue L. ipse Sulla. latam a Valerio Cicero ipse lib. I. de leg. ostendit his uerbis: Quid iniustius ea lege, quam interrex noster tulit, ut dictator, quem uellet ciuium, impune posset occidere. NOVAS & Valeriam, siue Corneliam. AB INITIO & cum dixit: Haec omnia, iudices, imprudente L. Sulla facta esse, certo scio. SI PER UOS, iudices, licitum erit, & si me audire uolueritis, ea, quae ad causam puto pertinere, libere narrantem. **A**B ISTO nebulone & a Chryfogono, qui sese bona Sex. Roscij de L. Sulla dicit emisse. supra.

O R A T I O

INTELLIGO, me ante tempus, iudices, haec scrutari, & propemodum errare, qui, cum capiti Sex. Roscij mederi debeam, rediuuiam curem. non enim laborat de pecunia, non ullius rationem sui commodi ducit: facile egestatem suam se laturum putat, si hac indigna suspitione, & ficto crimine liberatus sit. uerum quae a uobis, iudices, ut haec pauca, quae restant, ita audiat, ut partim me dicere pro me ipso putetis, partim pro Sex. Roscio. quae enim mihi ipsi indigna, & intolerabilia uidentur, quaeque ad omnes, nisi prouidemus, arbitror pertinere, ea pro me ipso, ex animi mei sensu ac dolore, pronuncio: quae ad huius uitae casum, causamque pertineant, & quid hic pro se dici uelit, & qua conditione contentus sit, iam in extrema oratione nostra, iudices, audietis. Ego haec a Chryfogono mea sponte, remoto Sex. Roscio, quaero:

primum, quare ciuis optimi bona uenerint: deinde, quare hominis eius, qui neque apud aduersarios occisus est, neque proscriptus fuerat, bona uenerint, cum in eos solos lex scripta sit: deinde, quare aliquanto post eam diem uenerint, quae dies in lege praescripta est: deinde, cur tantulo uenerint. quae omnia si, quemadmodum solent liberti nequam, & improbi facere, in patronum suum uoluerit conferre, nihil egerit. nemo est enim, qui nesciat, propter magnitudinem rerum multa multos, partim conuiente, partim imprudente L. Sulla, commisisse. placet igitur in his rebus aliquid imprudentia praeteriri? non placet, iudices; sed necesse est. etenim, si Iuppiter Optimus Maximus, ciuim nutu & arbitrio caelum, terra, mariaque reguntur, saepe uentis uehementioribus, aut immoderatis tempestatibus, aut nimio calore, aut intolerabili frigore hominibus

nibus nocuit, urbes deleuit, fruges perdidit; quorum nihil pernicię causa diuino consilio, sed uel ipsa, & magnitudine rerum factum putamus; at contra, commoda, quibus utimur, lucemq., qua fruimur, spiritumque, quem ducimus, ab eo nobis dari, atque impertiri uideamus: quid miramur, L. Sullam, cum solus rep. regeret, orbemq. terrarum gubernaret, imperijq. maiestatem, quam armis receperat, legibus confirmaret, ali-

qua animaduertere non potuisse: nisi hoc mirum est, quod uis diuina assequi non possit, si id mens humana adepta non sit. Verum, ut haec missa faciam, quae iam facta sunt; ex ijs, quae nunc maxime fiunt, non ne quibus potest intelligere, omnium architectum, & machinatorem unum esse Chrysogonum, qui Sex. Roscij nomen deferendum curauit: hoc iudicium, cuius honoris causa accusare se dicit Erutius *

EXPLANATIO

REDIVIAM curem. & morbum, quo cutis extra unguis soluitur. **CVR** tantulo uenirent. & duobus millibus nummum. **ALIQUID** imprudentia praeteriri? & ab eo, qui rep. gubernat. **PERNICIES** causa, & generandi casu, Pernicij Ciceronem dixisse, ait Gellius lib. IX. cap. 14. Carisius autem lib. I. non Pernicij, sed, pernicius: ut mirum sit, illa quoque aetate scriptos libros a ueritate intercedum aberrasse. Nobis, utrum sequamur, incertum est. **Diuino consilio**, & quod ita Iuppiter ipse uelit: quemadmodum nec Sulla fieri uult ea, quae fiunt. **VI** & natura. **MAGNITUDE** & quod res ipsae pro sua natura tantum possint. **COMMODA**, quibus utimur, & haec addit ad colligendam Sullae gratiam: ut, sicut a Ioue, item ab ipso plura dari, atque impertiri commoda, quam inferri damna, uideantur. **Nisi hoc mirum est**, & diximus iam, hoc loquendi genus ad negandum usurpari. est igitur, Nisi hoc mirum est, pro, Mirum non est. **Vis diuina** & uim in Ioue, mentem in homine ponit.

ORATIO

desunt non pauca.

aptam, & ratione dispositam se habere existimant, qui in Sallentinis, aut in Brutijs habent, unde iuxter in anno audire nuntium possunt. alter tibi discedit de Palatio, & aedibus suis: habet animi relaxandi causa rus amoenum, & suburbanum, plura praeterea praedia, neque tamen ullum nisi praecclarum, & propinquum: domus referta uasis Corinthijs, & Deliacis, in quibus est authepsa illa, quam tanto pretio nuper mercatus est, ut, qui praetereuntes pretium enumerari audiebant, fundum uenire arbitrarentur. Quid praeterea caelati argenti? quid stragulae uestis? quid picturarum tabularum? quid signorum? quid marmoris apud illum putatis esse? tantum scilicet, quantum e multis splendidisq. familijs in turba & rapinis coacernari una in domo potuit. Familiam uero quantam, & quam uarijs cum artificijs habeat, quid ego dicam? mitto haec artes uulgares, coquos, pistores, lecticarios: animi, & aurium causa tot homines habet, ut quotidiano cantu uocum, & neruorum, & tiliarum, nocturnisq. conuiujs tota uicinitas personet. In haec uita, iudices, quos sumptus quotidianos, quas effusiones fieri putatis? quae uero conuiuia? honesta, credo, in eiusmodi domo: si domus haec habenda est potius, quam officina nequitiae, & diuersorium flagitiorum omnium. Ipse uero quemadmodum composito & delibuto capillo passim per forum uolitet cum magna ceterua togatorum, uidetis, iudices; ut omnes despiciat; ut hominem prae se neminem putet; ut se solum beatum, solum potentem putet. Quae uero efficiat, & quae conetur, si uelim commemorare, uereor, iudices, ne quis imperitior existimet me causam nobilitatis, uictoriamq. uoluisse laedere, tametsi meo iure possum, si quid in hac parte mihi non placeat, uituperare. non enim uereor, ne quis alienum me animum habuisse a causa nobilitatis existimet. Sciunt ij, qui me no-

runt, me pro illa tenui infirmaq. parte, posteaquam id, quod maxime uolui, fieri non potuit, ut componeretur, id maxime defendisse, ut ij uincerent, qui uicerunt. quis enim erat, qui non uideret, humilitatem cum dignitate de amplitudine contendere? quo in certamine perditu ciuis erat, non se ad eos iungere, quibus incolumibus, & domi dignitas, & foris auctoritas retineretur. quae perfecta esse, & sui cuiq. honorem, & gradum redditum, gaudeo, iudices, uehementerq. laetor: eaq. omnia deorum uoluntate, studio populi R. consilio, & imperio, & felicitate L. Sullae gesta esse intelligo. quod animaduersum est in eos, qui contra omni ratione pugnarunt; non debeo reprehendere. quod uiris fortibus, quarum opera eximia in rebus gerendis existit, honos habitus est; laudo. quae ut fierent, iccirco pugnatum esse arbitror; meq. in eo studio partium fuisse confiteor. sin autem id actum est, & iccirco arma sumpta sunt, ut homines postremi pecunijs alienis locupletarentur, & in fortunas uniuscuiusque impetum facerent; & id non modo re prohibere non licet, sed ne uerbis quidem uituperare: tum uero in isto bello non recreatus, neq. restitutus, sed subactus, oppressusq. populus R. est. uerum longe aliter est: nihil horu est, iudices: non modo non laedetur causa nobilitatis, si istis hominibus resisteris, uerum etiam ornabitur. etenim, qui haec uituperare uolunt, Chrysogonum tantum posse querunt; qui laudare uolunt, concessum ei non esse commemorant. ac iam nihil est, quod quisquam aut tam stultus, aut tam improbus sit, qui dicat: uellem quidem liceret; hoc dixissem: dicis licet. hoc fecissem: facias licet; nemo prohibet. hoc decreuissem: decerne, modo recte; omnes approbabit. hoc iudicasssem: laudabunt omnes, si recte, & ordine iudicaris. dum necesse erat, resq. ipsa cogebat, unus omnia poterat. qui postea quam magistratus creauit, legesq. constituit: sua cuique procuratio, auctoritasq. est restituta. quam si retinere uolunt ij, qui receperunt:

ceperunt : in perpetuum poterunt obtinere. sin has caedes, & rapinas, & hos tantos, tamq. profusos sumptus aut facient, aut approbabit : nolo in eos grauius quidquam ne ominis quidem causa dicere : unum hoc dico : nostri isti nobiles, nisi uigilantes, & boni, & fortes, & misericordes erunt, us hominibus, in quibus haec erunt, ornamenta sua concedant, necesse est. quapropter desinant aliquando dicere, male aliquem locutum esse, si quis uere, ac libere locutus sit : desinant suam causam cum Chryfogono communicare : desinant, si ille laesus sit, de se aliquid detractum arbitrari : uideant, ne turpe miserumq. sit, eos, qui equestrem splendorem pati non potuerunt, serui nequissimi dominationem ferre posse. quae quidem dominatio, iudices, in alijs rebus antea uersabatur ; nunc uero quam uiam munitet, quo iter affectet, uideris : ad fidem, ad iusurandum, ad iudicia uestra, ad id, quod solum prope in ciuitate sincerum, sanctumq. restat. Hic ne etiam sese putat aliquid posse Chryfogonus ? hic etiam potens esse uult ? o rem miseram, atque acerbam. ne-

que mehercules hoc indigne fero, quod uereas, in quid possit : uerum, quod ausus est, quod sperauit sese apud tales uiros aliquid ad perniciem posse innocui, id ipsum queror. iccirco ne experrecta nobilitas, armis, atque ferro recuperauit, ut ad libidinem suam liberti, seruiq. nobilium, bona, fortunas uestras, nostrasq. uexare possent ? si id actum est, fateor me errasse, qui hoc maluerim : fateor inanis, cum illis senserim : tamen si inermis, iudices, sensi, haec autem uictoria nobilium ornamento, atque emolumento reip. populoq. R. debet esse : tum uero optimo, & nobilissimo cuique meam orationem gratissimam esse oportet. Quod si quis est, qui & se & causam laeditur, cum Chryfogonus uituperetur ; is causam ignorat, se ipsum prope non nouit. causa enim splendidior fiet, si nequissimo cuique resisteretur. ille improbissimus Chryfogoni fautor, qui sibi cum illo rationem communicatam putat, laeditur, cum ab hoc splendore causae separatur.

EXPLANATIO

ALTER tibi descendit de palatio ? Chryfogonum describit : quem habere aedes in palatio, cum seruus fuerit, indignissimum uidetur. **Tibi** : cum indignatione elatum. **VASIS Corinthijs**, & capta, incensaq. Corintho, aurum, argentum, aes igni corrupta, permistaq. sunt. inde aes Corinthium, & uasa Corinthia primae nobilitatis, propter aurum & argentum : secundum locum Delia obtinebant. lib. II. in Verrem. Supellectilem ex aere, elegantiore & Deliacam, & Corinthiam. **QUID marmoris** ? de signis locutus, intulit, **Quid marmoris** : ut marmorea complecteretur omnia. **LECTICARIOS** ? lecticam gestare solitos, ut in ep. Sulpicij : Cum meis lecticarijs cum in urbem referri sum coactus. **TOGATORVM**, ? ciuium Romanorum, tempore seruientium, quia Chryfogonus apud Sullam gratia ualeret. **VRIS fortibus** ? Metellis, Catulis, Lucullis, Seruilijs, Pompeijs. **HOMINES postremi**, ? obscuro loci, infimae conditionis, ultimae fortis. Marcus Brutus ad Cicero- nem : Quod si Romanos nos esse meminisset : non audacius dominari cuperent postremi homines, quam nos prohiberemus. **NE OMNIS quidem causa** ? ne ut omninari quidem male in eos uidear : ne dum, quod ijs graue aliquid imprecer. **EQUESTREM splendorem** ? equestrem ordinem, iudicia ad- ministrantem. **SEKVI** ? qui antea seruerat, nam tum quidem libertus erat Chryfogonus.

ORATIO

VERVM haec omnis oratio, ut iam ante dixi, mea est : qua me uti resp. & dolor meus, & istorum iniuria coegit. sed Roscius horum nihil indignum putat : neminem accusat : nihil de suo patrimonio queritur : putat homo imperitus morum, agricola, & rusticus, ista omnia, quae uos per Sullam gesta esse dicitis, more, lege, iure gentium facta : culpa liberatus, & crimine nefario solutus, cupit a uobis discedere : si hac indigna suspitione careat, animo aequo se carere suis omnibus commodis dicit : rogat, orataq. te, Chryfogone, si nihil de patris fortunis amplissimis in suam rem conuertit ; si nulla in re te fraudauit ; si tibi optima fide sua omnia concessit, adnumerauit, appendit, si uestitum, quo ipse teclus erat, anulumq. de digito suam tibi tradidit ; si ex omnibus rebus se ipsum nudum, neque praeterca quidquam, excepit ; ut sibi per te liceat innocenti amicorum opibus uitam in egestate degere, praedia mea tu possides : ego aliena misericordia uiuo. concedo, & quod animus aequus est, & quia necesse est. mea domus tibi patet, mihi clausa est. fero. familia mea maxima uteris : ego ser-

uum habeo nullum : patior, & ferendum puto. quid uis amplius ? quid insequeris ? quid oppugnas ? qua in re tuam uoluntatem laedi a me putas ? ubi tuis commodis officio ? quid tibi obsto ? si spoliolum causa nis hominem occidere ; spoliasti. quid quaeris amplius ? si inimicitarum, quae sunt tibi inimicitiae cum eo, cuius antea praedia possidisti, quam ipsum cognosti ? sin metuis : ab eo ne aliquid metuis, quem uides ipsum ab sese tam atrocem iniuriam propulsare non posse ? sin, quod bona, quae Roscij fuerunt, tua facta sunt, iccirco hunc illius filium studes perdere : non ne ostendis id te uereri, quod praeter ceteros tu metuere non debeas, ne quando liberis proscriptorum bona patria reddantur ? facis iniuriam, Chryfogone, si maiorem spem emptionis tuae in huius exitio ponis, quam in ijs rebus, quas L. Sulla gessit. quod si tibi causa nulla est, cur hunc miserum tanta calamitate affici uelis ; si tibi omnia sua praeter animam tradidit, nec sibi quidquam paternum, ne monumenti quidem causa, reseruaui : per deos immortales, quae ista tanta crudelitas est ? quae tam fera inmanisq. natura ? quis unquam

quem praedo fuit tam nefarius, quis pirata tam barbarus, ut, cum integram praedam sine sanguine habere posset, cruenta spolia detrabere mallet? scis hunc nihil habere, nihil audere, nihil posse, nihil umquam contra rem tuam cogitasse: & tamen oppugnans eum: quem neque metuere potes, neque odisse debes, nec quidquam habere iam reliqui uides, quod ei detrabere possis: nisi hoc indignum putas, quod uestitum sedere in iudicio uides, quem tu e patrimonio, tamquam e naufragio, nudum expulisti. quasi uero nescias hunc & alii, & uestiri a Caecilia Balarici filia, Nepotis sorore, spectatissima femina: quae cum patrem clarissimum, amplissimos patruos, ornatissimum fratrem haberet, tamen, cum esset mulier, uirtute perfecit, ut, quanto honore ipsa ex illorum dignitate afficeretur, non minora illis ornamenta ex sua laude redderet. An, quod diligenter defenditur, id tibi indignum facinus uidetur? uisibi crede, si pro patris eius hospitij, & gratia uellent omnes huius hospitij adesse, & audent libere defendere, satis copiose defenderetur: sin autem pro magnitudine iniuriae, proq. eo, quod sum-

ma reip. in huius periculo tentatur, haec omnes uindicare; consistere mehercule uobis isto in loco non liceret. nunc ita defenditur, non sane ut moleste ferre aduersarij debeant, neque ut se potentia superari putent. quae domi gerenda sunt, ea per Caeciliam transiguntur. fori iudicij. rationem Messalla, ut uidetis, iudices, suscepit, qui si iam satis aetatis, atque roboris haberet, ipse pro Sex. Roscio diceret. quoniam ad dicendum impedimento est aetas, & pudor, qui ornat aetatem; causam mihi tradidit, quem sua causa cupere, ac debere intelligebat. ipse assiduitate, consilio, auctoritate, diligentia perfecit, ut Sex. Roscij uita erepta de manibus sectorum, sententijs iudicium permitteretur. Nimirum, iudices, pro hac nobilitate pars maxima ciuitatis in armis fuit, haec acta res est, uti nobiles restituerentur in ciuitatem, qui hoc facerent, quod facere Messallam uidetis, qui caput innocentis defenderent, qui iniuriae resisterent, qui, quantum possent, in salute alterius, quam in exitio, mallent ostendere. quod, si omnes, qui eodem loco nati sunt, facerent: & resp. ex illis, & ipsi ex inuidia minus laborarent.

EXPLANATIO

ANVLVMQ. de digito suum tibi tradidit? rectius, quam, ut antea, Anulumq. dedit, os suum tibi tradidit. Anulum autem non aureum, sed ferreum. nam aureo senatoribus tantum, & equitibus Romanis uti licebat. **PRAEDIA** mea tu possides, ego aliena misericordia uiuo: & similis locus ad commouendam iudicum misericordiam in ea pro Quintio: De re pecuniaria cupio contendere, non licet. at ea controuersa est, nihil ad me attinet: causam capitis dicas oportet. & quae sequuntur. Nec dissimiliter in Verrem, lib. V. Cleomenem nominare non licet. at causa cogit. moriere, si appellaris. Ad remiges non erant. praetorem tu accusas? frange ceruicem. **Aliena misericordia**: Caeciliae, Balarici filiae, infra: Quasi uero nescias, hunc & alii, & uestiri a Caecilia, Balarici filia, Nepotis sorore. **DE ROGETVR**, & minuat. alibi, Abrogare fidem. **SIN metuis**: ne tibi ille aliqua re noceat. **AB SESE**: a capite suo. **QVOD praeter ceteros tu metuere non debeas**: apud Sullam gratiosissimus. **NE quando liberis proscriptorum bona patria reddantur**: quae ne redderentur, Valeria lege cautum erat. **IN IIS rebus, quas L. Sulla gessit**: quae sunt eiusmodi, ut, quae ille post uictoriam fecit, rata fore uideantur. **NE monumenti quidem causa**, & in agro, quo mortuus inferatur. nam, ut diximus, extra urbem sepulcra erant. supra: Cui de tanto patrimonio praedo iste nefarius ne iter quidem ad sepulcrum patrium reliquisset. **SVMMA reip.** & nam, si hunc innocentem iudicio penderent homines nefarie: in summum resp. discrimen adduceretur. quis enim, quod liberet, id sibi licere non putaret? **QVAE domi gerenda sunt**, & quod ad Roscij uictum, uestitumq. attinet. **MESSALLA** & Valeriae gentis, patriciae: nam Valerij Flacci plebeij. iuniorum esse Cicerone, atque aliquot quidem annis, ea, quae sequuntur, ostendunt. itaque, cum duos Messallas post Ciceronem consules fuisse uideam, posteriorem signi ficari crediderim, qui anno urbis dcc cum Domitio consulatum gessit. **ROBORIS** & quo pueri & adolecentes carent. unde illud pro Coelio: Cum autem paullum iam roboris accessisset aetati, in Africam profectus est. Phil. X. Alter uirtutis robore firmior, quam aetatis. Robustus accipitur eodem sensu. pro Coelio: Vellem aliquis ex uobis robustioribus hunc maledicendi locum suscepisset. Pro Sulla: Quod si esses uis, atque aetate robustior. De Harusp. resp. Deinde iam robustus. Phil. V. Aetate multo robustior. Vis eadem est in uerbo. pro Sextio: Recita, quaeso, P. Sexti, quid decreuerint Capuae decuriones: ut iam uirilis tua uox possit aliquid significare inimicis nostris, quid nam, cum se corroborauerit, effectura esse uideatur. Pro Coelio: Cum is iam se corroborauisset, & uir inter uiros esset. In Laelio: Corroboratis aetatibus. **CUPERE, ac debere** & in priore amor ostenditur, in posteriore officium. **AUCTORITATE**, & non ex gestis magistratibus, cum esset adolescentulus, sed ob nobilitatem. **SECTORVM**, & qui bona patris eius, tamquam proscripti, se emisse dicunt. pertinet hoc primum ad Chrylogonum, deinde ad duos Roscios, cum quibus ille praedam communicauit. **QVI eodem loco nati sunt**, & in quibus par nobilitas est. ad Terentiam lib. XIV. Quid aliae faciant istae loco feminae. **Ex inuidia** & inuidia opponitur gratiae: & est populi de aliquo mala quaedam opinio. alia potro inuidia est, cum alienis angimur bonis.

O R A T I O.

VERVM si a Chryfogono, iudices, non impetramus, ut pecunia nostra contentus sit, uitam ne petat; si ille adduci non potest, ut, cum ademerit nobis omnia, quae nostra erant propria, ne lucem quoque hanc, quae communis est, eripere cupiat; si non satis habet auaritiam suam pecunia explere, nisi etiam crudelitate sanguinis perlitus sit: unum perfugium, iudices, una spes reliqua est Sex. Roscio, eadem quae reip. uera pristina bonitas, & misericordia. quae, si manet, salui etiam nunc esse possumus. sin ea crudelitas, quae hoc tempore in rep. uersata est, uestros quoque animos, id quod fieri profecto non potest, duriores, acerbioresque reddidit: actum est, iudices: inter feras satius est aetatem degere, quam in hac tanta immanitate uersari. ad eam ne rem nos reseruati estis, ad eam ne rem delecti, ut eos condemnaretis, quos sectores, ac sicarij iugulare non potuissent? solent hoc boni imperatores facere, cum proelium committunt, ut in eo loco, quo fugam hostium fore arbitrantur, milites collocent, in quos, si qui ex acie fugerint, de improviso incidant. nimirum similiter arbitrantur isti bonorum emprores, uos hic tales uiros sedere, qui excipiat eos, qui de suis manibus effugerint. dij prohibeant, iudices, ut hoc, quod maiores Consilium publicum uocari uoluerunt, praesidium sectorum existimetur. An uero, iudices, uos non intelligitis, nihil aliud agi, nisi ut proscriptorum liberi quauis ratione tollantur? & eius rei initium in uestro iureiurando, atque in Sex. Roscij periculo quaeri? dubium est, ad quem maleficium pertineat, cum uideatis ex altera parte sectorem, inimicum, sicarium, eundemque accusatorem hoc tempore; ex altera

egentem, probatum suis filium, in quo non modo culpa nulla, sed ne suspicio quidem potuit consistere? numquid hic aliud uidetis obstare Roscio, nisi quod patris bona uenierunt? quod si id uos suscipitis, & eadem in re operam uestram profitemini; si iccirco sedetis, ut ad uos adducantur eorum liberi, quorum bona uenierunt: caute, per deos immortales, iudices, ne noua, & multo crudelior per uos proscriptio instaurata esse uideatur. illam priorem, quae facta est in eos, qui arma capere potuerunt, tamen senatus suscipere uoluit, ne quid acrius, quam more maiorum comparatum est, publico consilio factum uideretur. hanc uero, quae ad eorum liberos, atque infantium puerorum incunabula pertinet, nisi hoc iudicio a uobis reijcitis, & aspernamini: uidete, per deos immortales, quem in locum tempore, peruenturam putetis. Homines sapientes, & ista auctoritate, & potestate praeditos, qua uos estis, ex quibus rebus maxime resp. laborat, ijs maxime mederi conuenit. uestrum nemo est, quin intelligat populum R. qui quondam in hostes lenissimus existimabatur, hoc tempore domestica crudelitate laborare. hanc tollite ex ciuitate, iudices: hanc pati nolite diuites in hac rep. uersari: quae non modo id habet in se mali, quod tot ciues atrocissime sustulit; uerum etiam hominibus lenissimis ademit misericordiam consuetudine incommo-
dorum. nam, cum omnibus horis aliquid atrociter fieri uidemus, aut audimus: etiam qui natura mitissimi sumus, assiduitate molestiarum sensum omnem humanitatis ex animis amittimus.

Desit fortasse quippiam.

E X P L A N A T I O

VERVM si a Chryfogono non impetramus, ut pecunia nostra contentus sit, uitam ne petat; & mirabilis locus in epilogis inducendus ad misericordiam iudicum commouendam. similis ille pro Quinctio: Si licet uiuere eum, quem Sex. Naeuius non uult; si est homini honesto locus in ciuitate inuito Naeuius; si fas est respirare P. Quinctium contra nutum, ditionemque Naeuij; si, quae pudore ornamenta sibi peperit, ea potest contra petulantiam te defendente obtinere: spes est, & hunc miserum, atque infelicem aliquando tandem posse consistere. sin & poterit Naeuius id, quod libet; & ei libebit, quod non licet: quid agendum est? qui deus appellandus est? cuius hominis fides imploranda est? qui denique questus, qui maior dignus inueniri calamitate tanta potest? **PECUNIA nostra**: Pecuniam pro bonis omnibus, ut alibi quoque, posuit. **ACTVM est, iudices**: quod in oratione pro Quinctio, loco a nobis proxime recitato, dixit: Quid agendum est? qui deus appellandus est? cuius hominis fides imploranda est? **CONSILIUM publicum**: senatorum, qui iudicia lege Sullae tractabant. **PROSCRIPTORVM liberi**: quos petendorum magistratuum potestate Sulla priuauit, occidi tamen noluit. in Pisonem. **IN VESTRO iureiurando**: ut uestris sententijs condemnatis Sex. Roscium contra leges, quas uos esse seruatos iureiurando polliciti estis. **AD QVEM maleficium pertineat**: utrum ad filium, qui nunc reus est, an ad T. Roscium Magnum, qui bona emit, qui inimicus est, qui sicarius, qui hunc accusat. **VENIERVNT**: quae se non putant, incoluim filio, retinere posse. **SENATVS suscipere noluit**, & lata igitur ad populum lege Sulla obtinuit, ut in eos, qui contra se, ac nobilitatem arma ceperant, iure suo possent animaduertere. **infra: Populum Romanum domestica crudelitate laborare. SVSCIPERE noluit**: non probauit S. C. **MORE maiorum**: qui necare ciues Romanum uetat. **DOMESTICA**: contra ciues ipsos, qualis antea numquam fuerat, nec postea fuit, nisi Octauio, Antonio, Lepido triumuiris.

IN. ORAT.

IN. ORATIONEM · CICERONIS

PRO · Q · ROSC · COMOEDO

PAVLLI · MANVTII

COMMENTARIVS



ARGVMENTVM



PRADIDIT C. Fannius Cherea Q. Roscio, communemq. cum eo fecit seruum suum Panurgum, ea condicione, ut illum arte histriónica erudiret, deinde quaestus communis esset. aliquanto post Q. Flavius quidam Tarquiniensis Panurgum occidit. Flavius Roscius iudicio persequi cum uellet, cognitorem in eam rem Fannium dedit. lite contestata, iudicio damni iniuria constituto, decidit cum Flauio

Roscio, ut ipse aiebat, pro sua parte; ut Fannius, pro tota societate; fundum accepit, non pecuniam. Post aliquot annos Roscium Fannius arbitrum adegit. arbiter fuit idem, qui in hac causa iudex est, C. Calpurnius Piso. is de re sententiam non tulit, sed Roscium rogauit, ut Fannio pro labore, quod cognitor fuisset, quod uadimonia obisset, H-S CCCO daret, cum eo tamen, ut Fannius repromitteret, ac restipularetur, si quid exegisset a Flauio, partem eius dimidiam se Roscio daturum. spondit ita se facturum Fannius: deinde Flauio litem intendit. iudex fuit C. Cluius, eques Romanus. eius sententia Flavius H-S CCCO Panurgi nomine Fannio dissoluit. cuius pecuniae pars dimidia, cum ex restipulatione Roscio deberetur: tamen tantum abest, ut ei quidquam Fannius dederit, ut eum etiam in iudicium uocauerit, tamquam sua parte in uetere illa decisione fraudatus. aestimabat enim fundum, quem a Flauio Roscius acceperat, H-S CCCO: inde petebat H-S OOO: quasi Roscius pro societate, non pro se tantum, decidisset. in quo lis tota uertitur. Et hoc maxime argumento ad criminationem Fannij refellendam Cicero utitur, quod is, accepta a Roscio pecunia, quia cognitor eius fuerat, repromississet, & restipulatus esset, si quid a Flauio exegisset, dimidium ei se daturum. quo sibi nullam a Roscio ex uetere decisione deberi pecuniam indicauit.

Acta causa uidetur post Aureliam legem, quae Pompeio & Crasso cos. iudicandi potestatem restituit equitibus Romanis. nam ante, quam Fannius Roscium in iudicium uocauit, iudex fuerat inter Fannium & Flauium C. Cluius. De anno, iure dubitatur. nam, si est acta post Aureliam legem, unus ei assignandus est ex tribus annis, qui sunt ante consulem C. Pisonem, qui hac in causa iudex est. anno primo, quo lex Aurelia fertur, idest Pompeio & Crasso cos. acta non uidetur. nam, cum dicat Cicero, Flauium iam pridem esse mortuum, qui cum Fannio litigauerat ad iudicem Cluium: fieri non potest, ut eodem anno Fannius cum Flauio ad iudicem Cluium, & cum Roscio ad iudicem Pisonem litigauerit. Sequitur annus Hortensio & Metello cos. quo anno cum aedilis cur. Cicero fuerit, uerisimile non uidetur, priuatam causam in illo magistratu eum agere uoluisse

I

De tertio